
HIPPOCRATES — APHORISMA
1551







Aphorismorvm Hippocratis libri octo, succinctis Paraphrasibus illustrati: adiecto breui in singulos libros, & Aphorismos argumento, seruata ad verbũ Nicolai Leoniceni interpretatione,

Per Ioannem Lygæum medicum.



PARISIIS,

Apud Ioannem Foucherium sub scuto Florentiæ, via ad D. Iacobum.

1551.

CVM PRIVILEGIO.

Iuris vtriusque

PRVDENTISSIMO D. PEtro le Geneuois, Quæstori & Procuratori Regio, Ioan. Lygæus, medicus, S. P. D.

NVlla re alia clarissimorũ hominũ ĩdustrias suspicari possum lãguere, vir ornatissime, quàm calumniandi vitio, ita hodie peruulgato vsitatoq;, vt nemo in hac lubrica vitæ ratione, in rebus gerendis, improbissimorum hominũ procacitatem & inuidiã effugere possit. Quod vitium à natura insitũ, in nullum vitæ genus (meo iudicio) petulantius turbulentiúsque, quàm *eis tin iatriquin d'atribin* irrepere & grassari videtur. Verùm disertissimi ac omni doctrinæ genere ornatissimi viri ægrè admodũ illud cũ ferãt, sese inter priuatos parietes cõtinere malũt, omni nimirũ liberos inuidia, q̃ nepharias ĩpudẽtissimorũ obtrectatorũ subire cõtumelias. Quo in negotio etsi nõ ita mei ignoratione laboro, vt nesciã

nomini meo consultũ rectiùs fore, si me quoq; liberũ omni calũnia inter priuatos cõtineã parietes, nihilq; prorsus emittam, vel ob id vnum maximè, quòd certorum hominũ odio in eam incidimus miseriã, vt quoties præclarè faciamus, toties audiamus malè: vicit tamẽ me (cùm de tua memorabili humanitate opinio tũ etiam multorum & quidem optimorum virorum fidelis beneuolentia. Animum itaq; suscepti laboris scrupulo, eaq; velut difficultate laborãtẽ ipse collegi, reiecta ꝓcul maleuolorum calũnia, atq; adeò sub nominis tui claritate & fama opus hoc mole quidẽ exiguum, cæterùm rerum varietate, & sententiarum pondere maximũ concinnaui, tibiq; vni præter cæteros dicaui, quòd præcipuo quodam medicinæ, scientiarum omnium nobilissimæ & antiquissimæ, studio incendaris, docteq; nõ minus quàm copiosè & lubenter, quoties te adimus, de ea edisseras. Nec ea me solùm cõmouit ratio, sed honestã hanc nostram cogitationem vehementer auxit singularis virtus tua, & incredibilis in oẽs literarũ studiosos benignitas. Ob id quoq;

dicaui

dicaui, vt aliqua ſaltem ratione ſtudiũ & voluntatem erga te meam declararẽ. Siquidem vt ameris ab omnibus, immenſa illa tua liberalitas, & beneuolentia facit, quam quiſq; primo ſtatim obtutu, nedum congreſſu, animaduertit. Equidem facere nõ poſſum quin te ſummè & diligam, & venerer, dum præter innumerabiles alias virtutes, immẽſam illam tuam in Deum, & homines pietatem mecũ perpendo, vt eos quoq; fœliciſsimos iure exiſtimem, quibus honeſtiſsima tua conſuetudine, fideliſsima gratia & benignitate, perfrui licet. Quem enim domeſticorũ tuorũ excellentis ingenij tui magnitudine, admirabili prudentia, factiſq; præclaris nõ illuſtraueris? vt hac vna ratione audentiùs lubentiúſq; tuo ſuffultæ patrocinio hę noſtræ Paráphraſes in publicum prodeant, quas vt beneuolo vultu ſuſcipias, vnicè obteſtamur. Sunt hæ quidem ſuccinctæ, in ſuccinctos nimirũ Hyppocratis Aphoriſmos, hoc eſt ſententias breuiſsimis verbis omnem rei proprietatem explicantes, & circumſcribentes. Fuit certè quidem Hyppocrates *brachylogos*, και *philoſyn*

tomos cùm alibi, tum certè in his octo Aphoriſmorũ ſectionibus, quæ velut omniũ eius operum *Enchercidion* videri poſſunt: hinc cùm maiores noſtri maximũ in arte eſſe horũ Aphoriſmorũ vſum deprehenderent, optimo cõſilio inſtituerunt, vt nullo non tempore in medicorũ ſcholis publicè, magna adhibita diligẽtia, interpretarentur. Habes (vir ornatiſsime) inſtituti noſtri rationem, & ſubinde varias ad morbos, tum euitandos, tum profligãdos ſententias, ſempiterna dignas memoria. Ex his (ſi placet) decerpe per quæ ſalubriter vitam traducas, intermiſſo aliquãtulum grauiorum ſtudiorum tuorũ curſu. Dum quoq; Corporis humani Harmoniam, & ſtructurã venuſtam heroico carmine abſoluimus: quod opus ſub tuorum quoq; patrocinio (quos Aula Regia nũc habet, ad ſummã dignitatem euectos, primo quoq; tẽpore prodibit. Vale vir clariſs. & (quod facis) literas, earumq; amatores foue. Barri ad Albulam Calend. Ianuar. 1551.

NICOLAI RVFFI MEDICI excellentiss. ad Ioan. Lygæum medicum, Hendecasyllabum.

Legi docte tuum Lygæe librum,
Hunc legi librum, & vsque, & vsque legi,
Quam dici queat elegantiorem:
Quem lætis oculis, bonáq; fronte,
Est quisquis medica peritus arte,
Euoluet, celebrans tuos labores.
Securus properet, nec extimescat
Nasum Rhinocerone longiorem,
Vsquam vani loqui nec ora vulgi.
Securus properet virûm per ora,
Quæ Musas redolent politiores.
Hunc omnis Chorus obuius medentûm
Plaudens excipiet, leget, fouebit.

GVLIELMI DAILLANCVrij Iuriſperiti, ad Ioannem Lygæum medicum, Carmen.

Mirabar medica ſi tantus in arte taceres,
Ingenio in reliquis plenus, & eloquio.
Quippe quod humanas, ſacras quod ſpectat ad artes,
Omiſſum ex aliqua nil tibi parte fuit.
Soluit opus præſens, dubium: modo nanque (fatebor)
Alter es Hippocrates, qui priùs Harpocrates.

Hippocratis Aphoriſmi ſuccinctis Paraphraſibus illuſtrati, adiecto breui in ſingulos Libros, & Aphoriſmos argumento, ſeruata ad verbū N. Leoniceni interpretatione,

Per Ioannem Lygæum medicum.

PRIMI APHORISMORVM libri argumentum.

Primus Aphoriſmorum liber ad eam medicinæ partem, quæ *D*iatetice dicitur, ferè totus pertinet, præſcribit enim non ſolùm cibi & potus in ſanis, & ægris, verum etiam exercitationis, rationem.

APH. I. ARGVM.

Priore huius ſententiæ parte, Aphoriſticam, & compendioſam doctrinā in arte medica neceſſariam innuit, quòd vita ipſa humana breuis ſit, ars verò longa. Poſteriore, non tantùm

à medico, ſed & ab ægris, atq; miniſtris, quæ conueniunt, requirit.

VIta, vitæq; noſtræ portio medicinæ diſcendæ idonea, *breuis*, arti longę collata, *Ars* ipſa medica, *longa* propter variarum rerum inueſtigationē & cognitionem quam hæc ipſa requirit, *occaſio autem* medicamēta adhibendi, atque adeò faciendi, aut non faciendi, opportunitas *præceps*, quòd corpus humanum aſsiduè fluat, & temporis momento tranſmutetur. *Experimentum* medicorum remediorum, & cauſarum omnium ſalubrium, *periculoſum*, propter corporis humani dignitatem : *iudicium*, quo quid faciendum ſit inueſtigamus, *difficile*, ob ſectas, & varias in arte medica opiniones. Nec *ſolùm ſeipſum* medicū, à quo fit actio, *oportet præſtare opportuna facientem*, circa ægrum ad morbi oppugnationem, *ſed & ægrū*, ſine quo non fit actio vniuerſa, quę opportuna ſunt facere decet, & in omnibus præcipiēti medico obtemperare, nihilq; intemperantiâ delinquere : *& aſsidentes*, per quos meliùs ipſa fit actio, ſedulò

duló ſuo fungi officio decet: *& exteriora*, per quæ omnia illa cõſeruantur, cõuenire ac culpa vacare oportet.

APH. 2. ARGVM.

Quales humores medicum vacuare oporteat, oſtendit, exemplo ab euacuationibus, quæ à natura fiunt, deſumpto.

N perturbationibus ventris, & deiectionibus per inferna, *& vomitibus ſpontinis*, nimirum à natura factis, citra medici operam, virtute expultrice robuſta, *ſi talia*, quæ corpus ſua qualitate infeſtant, & morbum minantur, *purgentur*, per commoda & idonea loca, *qualia purgari oportet*, deiectione, vomitione, facultatis expultricis impetu, *confert*, quia morbum abolent aut leuant, *& leniter ferunt* ægroti, á vitioſis ſuccis liberati, leuioréſque facti: *ſin minus* vitioſi humores vacuentur, *cõtrà* accidit, & difficulter ferunt ęgrotãtes euacuationẽ. *ſic & vaſorũ*, humores ſuperabundãtes cõtinẽtiũ, *inanitio* per vomitũ, aut ſeceſſũ, aut venæ ſectionẽ, hæmorrhoidas, vrinã, clyſteres, vterũ, exercitia, & eiuſmodi, facta:

1

si talis fiat à methodico & rationali, *qualis fieri debet* in singulis morbis, infestos humores educendo, *confert* talis inanitio *&* *bene tolerant*, quòd vitiosi humores educantur, *sin minus* fiat inanitio eorum quæ corpora molestant, *contrà* accidit, nec bene tolerant ægroti. I*taque inspicere oportet* in ipsis humoribus educendis, *& regionem* in qua degunt ęgrotantes, *& tempus* anni, quod præsens est, *& ætatem* secundum quam humores in corpore varii sunt, *& morbos* quorum cognitio humoris superabundantis notitiam suppeditat, *in quibus conueniat, aut non* conueniat tales humores educere.

APH. 3. ARGVM.

Immodicam plenitudinem periculosam esse, atque adeò sine mora soluendá, Athletarum exemplo: summas tandem & vacationes & refectiones vitandas.

H*Abitus* boni *exercitatorum* & athletarum cibis multis, & plurimũ nutrientibus corporis molem & robur parare studentium, *qui ad summum bonitatis attingunt*, tantam habentes plenitu-

nitudinem, vt maiorem habere non possint, *periculosi*, ob immodicam plenitudinem, cuius causa vasa sæpe rumpuntur, aut calor natiuus strangulatur, *si in extremo constiterint*, & vasa sic expleta humoribus fuerint, vt plus citra vitæ discrimẽ capere non possint. N*eque enim possunt in eodem* statu *permanere* continuò appetentes, *neque* diu *quiescere*, cum semper natura coctionem, alimenti distributionem, sanguinis generationem, adiectionẽ, adglutinationem, atque assimilationem moliatur, *cum verò non quiescant* athletæ, tantam adepti molem corporis, cibis immodicis & plurimum nutriemtibus. *Neque possunt proficere in melius*, quòd ad extremum bonitatis progressi sint: eo enim tempore facultates suum munus haud obeunt, crescat coctrix, impeditur retentrix, expultrix grauatur copia & plenitudine: *reliquum est igitur vt decidant* athletæ eiusmodi *in deterius* ruptis venis, aut innato calore (qui ob immodicam plenitudinem perspicatu caret) extincto. H*is de causis bonum habitum* & plenitudinem athletarum *statim* & antequàm prædicta

pericula incidant, *ſoluere expedit* per euacuantia, venæ potiſsimum ſectionem, *vt corp⁹ euecti ci rurſus*, nouo aſſūpto cibo, *nutriri incipiat*, & facultates omnes naturales ad ſuum officium redeant, quarum finis nutritio, *neque compreſsiones*, & concidentiæ partium priùs plenarum, *ad extremum ducendæ*: alioqui de extremo in extremum ſine medio tranſit natura, tandemque vires proſternuntur, *periculoſum enim*, quòd raró vires proſtratæ reſtaurentur, *ſed qualis fuerit natura*, & virtus *eius qui debet perferre* euacuationem, *ad hoc ducere conuenit*: hic enim minùs, ille magis perfert euacuationes. *Sic & euacuationes* omnes in genere, *quæ ad extremum deducunt*, in ſoluenda firma athletarum affectione, *periculoſæ*, ob id fugiendæ, ne vires eius, qui euacuationem ſuſtinet, proſternãtur, *& rurſus*, viciſsim quoque *refectiones*, cuiuſcunque generis ſint, *cum extremæ fuerint* & immodicæ, *periculoſæ*, cum iam ſit natura imbecillis, neque poſsit ſufficienter coquere, neque diſtribuere & aſsimilare alimentum.

APH. 4. ARGVM.

Victum tenuem & accuratum,pericu losum esse in diuturnis morbis,summas tandem expletiones atque inedias,difficiles & molestas.

V*[ictus]*, quo ægri vtuntur, *tenuis atque exquisitus*,pauca,aut ea quæ parum nutriunt edulia fit *in morbis quidem longis*, quibus debetur victus plenus, *semper* periculosus est, ꝙ vires demoliatur, & cũ quo æger ad quadragesimum diem perdurare non poteſt. *in acutis verò in quibus non conuenit*, vt peracutis & acutiſsimis, *periculosus*, naturam enim plurimum grauat,& à morbi coctione abstrahit. *& rursus qui* victus *ad extremum deuenit tenuitatis*, *vt* omnimodam inediam, *grauis est*,in morbis longis, *nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt*, vt dictũ est Aphorismo superiore, *graues sunt*, vt summæ in ediæ difficiles & molestæ.

APH 5. ARGVM.

Errata quæ tum in tenui, tum in pleniore victu cõmittuntur, inter se con feruntur.

IN *tenui victu*, ſi quando eo vti conueniens eſt, morbi ratione, *ægri delinquunt*, quando intempeſtiuè hunc ſibi deligunt: *quo fit vt magis lædantur* ab errore illo, propter viriũ imbecillitatẽ à victu tenui, & morbo acuto. *quicunque enim errore committitur* à medico, ægro, aſsidentibus exterioribus, *maior in hoc* tenui victu intempeſtiuè adhibito *fit*, & grauius vires lædit, *quàm in paulò pleniore victu*, quo in morbi vigore ſæpius vti coguntur, præſertim vbi ex inedia vires proſtratæ fuerint. *propterea etiam ſanis*, hoc in genere victus delinquentibus, *periculoſus exiſtit valde exquiſitus victus*, & accuratus, *& cõſtitutus* ſemel, *quoniam errores grauius ferunt* ſani, victu tenui aut exquiſito vtentes, *ob hoc igitur tenuis victus*, & accuratus, *atque admodum exquiſitus*, & conſtitutus, *eo qui ſit paulò plenior magis*, & maxima ex parte *periculoſus*, quòd vires reddat imbecillas.

APH. 6. ARG.

Nonnunquam à ſummis præſidiis auſpi-

auſpicanda curatio.

E*Xtremis morbis*, & maximis, quales ſunt peracuti, à quibus periculum impendet, *extrema exquiſitè remedia*, vt eſt victus tenuiſsimus, & alia præſidia maxima, *optima ſunt*, ſi nihil à medico, ægroto, & aſsidentib⁹ peccetur.

APH. 7. ARG.

In peracutis morbis extremè tenuiſſimo victu vtendum.

V*Bi morbus peracutus eſt*, atque adeò celeriter conſiſtit, *ſtatim* die quarto, aut paulo antè vel paulo póſt, *extremos habet labores*, ſtatum, & vigorem cum grauiſsimis ſymptomatibus, *&* tum neceſſariò *extremè tenuiſsimo* victu ſolaque inedia *vtendum eſt*, modò id liceat per vires, & ætatem ægrotantis. *vbi verò non* peracutus morbus eſt, ſed tantum acutus vel longus, *& pleniorem victum*, vt melicratum, & ſuccum ptiſanæ, *contingit adhibere*, quia ſtatus longiùs abeſt, *tantum cibi indulgendum eſt*, tantóque plenior victus adhibendus, *quanto morbus*, acutus vel longus, *extremis eſt*

mollior, & à vigore recedit.

APH. 8. ARG.

Qualis debeat esse in morborum omnium vigore victus.

Q*Vando morbus*, siue peracutus, siue acutus, siue longus, *in suo vigore*, quem declinatio excipit, *constiterit*, quod animaduertit prudens medicus: *tunc victu tenuißimo vtendum est*, alioqui in morbo cuius vigorem mors excipit, parte artis, quæ futura prædicit, sola vtendum.

APH 9. ARG.

Simul cum morbi vigore, ægrotantis vires diligenter attendendæ in peracutis.

C*Oniectari autem oportet* in morbis præfatis, *an æger cum victu*, quem præscribit medicus, *sufficiat perdurare*, citra virium lapsum, *donec morbus consistat*, & status præterierit, *& nunquid prius ille deficiat*, facultatibus corpus ipsum dispensantibus prostratis, *nec posit cum victu perdurare*, & cum morbo pugnare antequam ad vigorem commodè pertingere queat. *Vel morbus ante*

te discutiat atque hebetescat, declinatione apertè subsequente.

APH. 10. ARG.

Non tantũ in peracutis, vel acutis, dum vigẽt, tenuiter cibãdũ, sed & ĩ diuturnis.

QVibus igitur statim, atque non multò post primam inuasionẽ *morbus consistit*, & vigor adest, vt in peracutis & acutis, *his statim* & circa principi *tenuis victus adhibendus est*, quo victus genere in ipso statu vtimur. *Quib⁹ verò posterius debet consistere*, & non confestim vigor futurus est, nempe die 7. vel 14. *his et in ipso consistendi tempore* ipsoque vigore, *& pauló ante illud* tempus, *cibus subtrahendus*, vt natura coctioni humorum noxiorum vacare possit, *prius vero vberius agendum*, & nutriendum plenius, *vt æger sufficiat* vsq; ad summũ vigorẽ perdurare, in quo tenuis victus adhiberi debet.

APH. 11. ARGVM..

A cibis abstinendũ in ipsis febriũ accessionibus.

IN *accessionibus* febriũ cõtinuarũ habẽtiũ exacerbationes intermittẽtibus affines, nẽpe prĩcipio, augmẽto, & vigore,

abstinere oportet à cibo: *nam cibum dare nocuum est*, quòd naturam, quæ circa morbi materiam tum est occupata, cibus oblatus distrahat, atque adeò humores morbum efficientes adaugeat, *& quibus per circuitum fiunt accessiones*, nempe in intermittentibus febribus, quæ per certos circuitus redeunt, *in ipsa accessione*, & ante accessionem, *abstinere op rtet*, modo per ægrotantis vires, & corporis naturam liceat.

APH. 12. ARGVM.

Qua ratione accessiones, & vniuersalia morborum tempora deprehendere licet, & num morbi futuri sint breues, aut longi, iudicatu faciles, aut difficiles.

A *Ccessiones verò* à quibus victus ratio instituitur, *& constitutiones*, totam morbi durationem, *morbi*, morborumque ipsorum differentiæ, *indicabunt* medico, *& anni tempora*, suam naturam obseruantia, *& circuituum successiua incrementa*, accessionum nimirum, quæ in circuitibus fiunt, augmenta *siue quotidie*, vt in febribus quotidianis, *siue*

ſiue alternis diebus vt in bilioſis & tertianis, *ſiue per maiora interualla fiant*, vt quartanis quintanis, *ſed & ex his* ſymptomatibus & ſignis, *quæ mox apparent* in ipſo morbo, *indicia* acceſsionum & conſtitutionum *ſumuntur*, & *fiunt. Quemadmodum in morbo laterali*, pleuritide, *ſi circa initia*, & morbo incipiente, *ſtatim* nempe intra tres dies, *ſputum appareat*, coctum *morbum breuiat*, & leuem ſignificat pleuritidem. *ſi verò poſtea appareat*, nempe circa decimumquartũ diem, *producit*, & longum fore morbum ſignificat, *&* *vrinæ*, earum nempe ſubſtantia, quantitas, qualitas. perſpicuitas, color, odor, meiendi modus, & contenta, morbi inſtitutionem monſtrant, *& alui excrementa*, *& ſudores*, vbi ſuperuenerint, *quæcunque apparuerint*, alia quoque per aliam partem excreta, *vel bonam morborum indicationem*, & firmationem iudicatu facilem, *vel malam* terminationem iudicatu difficilem, *vel breues*, ſi ſtatim illa cocta ſint, *aut longos fore morbos oſtendunt.* ſi cruda vel pituitoſa.

APH. 13. ARGVM.

Aetatum differentiam multum conferre ad victus rationem probè instituendam.

Senes primi & virides, quíque adhuc ciuilia munia obire possunt, *facillimè ieiunium ferunt*, quòd frigidiores sint, & cibos minus possint cõficere, labefactata iam nonnihil virtute: *secundo loco* famem facilè tolerant, *qui ætatem consistentem habent*, vt qui in declinatione à vigore existunt: corpus enim haud consimiliter calidum, vt antea obtinent. *minus adolescentes* ieiunium ferunt, quàm senes primi, & consistentes, quòd calor, corpúsque eorum in continuo sint incremento: *omnium minimè pueri* famem tolerant, quòd corpus perspiratu facile obtineant, & plurimum calidi innati, quódque iustam incrementi perfectionem nondum consequuti sint, *præsertim qui inter ipsos sunt iuniores*, & animosiores, quia cæteris calidiores.

APH.

APH. 14. ARG.

Causam adducit propter quam senes facilè ieiunium, contrà verò pueri, & adolescentes nullatenus sustineant.

*Q*Vi præsertim pueri & adolescẽtes *crescunt* & in assiduo sunt incremento per nouam pororum generationem ab apposito nutrimento, *plurimum habent calidi innati* & substantię calidæ, humidæ, seminalis, menstruæ, & sanguineæ: *plurimo igitur egent alimento*, quòd multum diffluit à substantia eorum calida humida, *alioqui corpus absumitur* nullo adhibito alimento, nam tum quæ consumat non inueniens calidum innatũ, carnes omnino consumit: *senibus verò parum calidi innati inest*, hocq; nomine corpus frigidum obtinent, *paucis propterea fomitibus* & alimentis *egent*, quòd paucus fiat fluor substantiæ eorum, *quia à multis extinguitur*, & eorum calor suffocatur si quispiam illis copiosum alimentum suppeditet. *hanc enim ob causam*, quòd senibus parum calidi innati insit, *febres seni-*

bus non consimiliter acutæ fiunt perinde atque iuuenibus, *frigidum enim eorum corpus* & paucum ipsis calidum innatum.

APH. 15. ARGVM.

Ad rectam victus rationem instituendam tempora anni conferre.

Entres, internæ nimirum corporis partes, & concauitates omnes, *hyeme* naturam suam obseruante, *& vere*, præsertim eius initio, *natura* natiuóque calore *calidissimi sunt*, & temperatissimi, *& somni* per quos naturæ opera fiunt exactissima, *longissimi* propter longiores noctes frigidissimas & humidissimas. *Quare per ea tempora* in quibus ventres natura calidissimi & sõni longissimi sunt, *alimenta copiosiora &* plenius nutrientia *sunt exhibenda*, quòd probatur per sequentia. *Etenim tunc calor innatus plurimus est* in ventribus & cauitatibus internis. *Vnde & pluribus* pleniusque nutrientibus *egent alimentis*, quæ conficiant ne absumantur, *indicio* & argumento *sunt ætates athletæ*, quòd pluribus egent alimentis ob calorem internum

num crebris exercitiis auctiorem redditum.

APH. 16. ARGVM.

Victum tam ægris quàm *ſanis* conuenientem præſcribit.

V*Ictus humidus* & frigidus, actu aut potentia talis, *febricitantibus confert* vt contrarius, *maximè verò pueris* prodeſt per morbos victus humidus eſt frigidus, vt per ſanitatem humidus calidus, ipſis humidis calidis, & quo potiſſimum proximiores ſunt generationis principio, *& alijs qui tali victu vti conſueuerunt*, ſiue febrem patiantur, qui ſani ſint, quippe conſuetudo ſimilibus indiget naturam imitans.

APH. 17. ARGVM.

Eorum quæ ægrotantibus offeruntur modus conſiderandus.

E*T quibus* ſubinde ægrotis *ſemel* & totũ ſimul *aut bis* vt duobus paſtibus *& quibus pluráne an pauciora* ſemel aut bis *particulatim*, in ſingulis nimirum paſtibus, *oporteat adferre, con-*

ſiderandum ex morbi vigore & viribus: *condonandum autem aliquid* de numero & quantitate paſtuum *tempori, ætati, & conſuetudini*, ſemel aut bis, plura aut pauciora ſumentium, idque poſt duas primas & maximas indicationes à morbo & ægrotantis viribus petitas.

APH. 16. ARGVM.

AEgrotos difficillimè ferre cibos æſtate, & autumno ætatem mox inſequente.

AE *ſtate & autumno cibos difficillimè ferunt* ægrotantes, quòd iis temporibus calor innatus exiguus ſit, & vires imbecillæ. *hyeme facillimè* cibos ferunt, quòd calor innatus plurimus ſit. *ſecundum locum ver habet*, quòd temperatū ſit, vnde nec difficillimè tum vt æſtate, neque facillimè vt hyeme, ægrotantes cibos ferunt, ſed facilè.

APH. 19. ARGVM.

Modus vſus ciborum ex ipſis acceſsionibus diſcendus.

His

H Is *qui per circuitus* & periodos ciatas ordinatimque factas *accessiones habent, nihil dare oportet* in ipsa accessione & ante accessionem, *neque cogere* ad cibum & potum, alioqui causę morbum efficienti aliquid adiicies, morbumque ipsum augebis, *sed subtrahere* oportet *adiectioni* ei quod offerebatur *ante iudicationes*, ipsas nimirum accessiones, in quibus magna ex parte iudicationes accidunt.

APH. 20. ARG.

Quando in morborum iudiciis naturæ opitulandum, & quando non.

Q*Væ iudicantur* per crisim corpore, sub naturæ iudicio cõstituta *& iudicata sunt integrè* perfecteque atque sufficienter, *neque mouere* materias quas natura magno conatu expellere studet, *neque nouare aliquid* ne naturæ actionem turbemus *siue medicamentis* purgantibus, *siue aliter irritando* materiam vel naturam, venæ nimirum sectione, vomitione, clystere, aut aliis causis salubribus, *sed sinere* & omnia natura pmittere, siue fiat iudicatio, siue integrè facta sit.

APH. 21. ARG.

Quid faciendum medico vbi noxia non integrè à natura expelluntur.

Q*Væ* & quas morbi iudicati, ſed non integrè, reliquias *ducere oportet* & euacuare, *quo maximè natura* & facultas expultrix *vergit* & tendit, quando videlicet iudicatio imperfecta fuerit, *per loca conferentia*, nimirũ per partes non principes liberum exitum habentes, *eò ducere* oportet.

APH. 22. ARGVM.

In morborum principiis (niſi turgeant humores) medicamẽta purgantia haud propinanda.

C*Oncocta*, vtpote præparata ad expulſionem, *medicari* decet *atque mouere*, *non* autem *cruda*, vtpote pigra & ad motum inepta, propter craſſitudinem & frigiditatem, *nec in principiis* medicari oportet noxia, quòd tũ cruda ſint omnia, *niſi turgeant* cruda & aliæ materiæ in principiis, *plurima verò* magna ex parte *non turgent*. nec motu concitatiore ac impetuoſiore à partib9 in partes defluunt.

APH.

APH. 23. ARGVM.

In vacuationibus multitudinem non considerandam, sed superexcedentis humoris qualitatem, & tolerantiæ facilitatem.

D *Eiectiones* siue à natura siue à medico factæ, *non multitudine* & copia immensa, *sunt æstimandæ* à medico, *sed* quòd *si talia* quæ corpus molestant *deiiciantur* naura aut vi medicamenti, *qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant*, & seipsis fiunt leniores, *atque vbi vsque ad animi deliquium* & defectionem *expedit ducere* & phlebotome euacuare *faciendum* in pletora, *si æger posit tolerare* validarum virium beneficio.

APH. 24. ARGVM.

Quando commodè medicamento purgante vti licet in morbis acutis.

I N *acutis pasionibus* & morbis breui tempore motis, vrentibus feruentemque habentibus materiam, *raro* propter noxas & incommoda quæ purgationes ipsas sequuntur, *& in principiis medicinis purgantibus vti*, nisi

turgeant humores, *& hæc cum præmeditatione faciendum*, multaque cautione & consideratione.

APH. 25. ARGVM.

Qua ratione deprehenditur medicamentum purgans bene aut male processisse.

I *qualia oportet purgari* per medicamentum purgans *purgentur, cófert*, quòd id repurgetur quod oblędebat, *& facilè tolerant* ægrotantes. *si contra* purgentur qualia purgari non oportet, sed qualia erant retinenda, *difficulter* ferunt qui repurgantur.

APHORISMORVM
LIBRI PRIMI
FINIS.

Aphorismorum Hyppocr. Lib. II.

ARGVMENTVM.

Habet secundus hic liber, de quo vniuersalis & integra intentio aßignari non potest, permulta quæ ad Aetiologiam, Semeioticem, Physiologiam, & purgationem pertinent.

APH. I. ARGVM.

Quando a somno prędici possit nunquid morbus saluber aut exitialis futurus sit.

1 IN *quo morbo* & morbi quocunque genere, eiusq; particularibus temporibus *somnus laborem facit* & ægrum lædit, *mortale* signum existit, idque si in declinatione accidat, in qua aliàs plurimum conferre solet. *si verò iuuat* somnus in declinatione illa particulari, *non mortale* sui ratione, quòd bonum portendat.

APH. 2. ARG.

Eius quod superius dixit veluti exemplum subiungit.

V Bi *somnus*, aut quæuis causa salubris *delirium* & alia symptomata *sedat* & remittit *bonum* innuit, & multò melius vbi soluit.

APH. 3. ARGVM.

Somnij ac vigiliarum exemplo immoderata omnia naturæ esse prorsus aduersa.

S *Omnus atque vigilia* ipsi sõno opposita, *vtraque si modum excesserint*, immoderataque fuerint, *malum* signum existit & causa mala.

APH. 4. ARGVM.

Satietatis quoque & famis exemplo immoderata esse noxia.

N On *satietas* copià ciborum parta, *non fames*, quæ modum naturæ excedit, bona est, *neq; aliud quicquam* bonum *quod modum naturæ excesserit*, & naturalem tum vsum tum ordinem ciúsque temperaturam qui hæc habet.

APH. 5. ARG.

Quid præ se ferant sponte natæ lassitudines.

Spontaneæ lassitudines insignes nullo corporis, aut animi motu natę *morbos prænuntiant*

nuntiant febres nimirũ ſi in tot ſunt corpore vel partim ſi in eis ſint, quippe ex ipſis morbi cauſam adeſſe ſignificatur.

APHOR. 6. ARGVM.

Tum demum lædi rationem vbi dolorificus affectus non ſentitur.

Q*Vicunque dolentes* affectum dolorificum habẽtes in *parte aliqua corporis*, vel in toto corpore *omnino dolore* eumq́; ſenſum triſtem, & moleſtum ab eo affectu natum *non ſentiunt* neq; apprehendunt, *iis mens ægrotat*, ac tota facultas animalis ſic eſt oppreſſa, vt fungi ſuo munere non poſsit.

APHOR. 7. ARGV.

Quando tardè ac tenuiter, celeríter ac plenius triplex noſtra ſubſtantia reparanda & inſtauranda.

Q*Væ longo tẽpore* & per multos preſertim longos *extenuantur corpora* è tribus conſtantia, ſpiritibus, humoribus, & ſolidis, *Lentè* longioreq́; tempore & tenuiter *reficere oportet* dum à morbo reualeſcunt. *quæ verò breui*, vt per morbos acutos, fluorem alui, inediam, vigilias extenuantur corpora, *bre-*

uiter & plenius reficere oportet: quoniam soli spiritus & humores resoluti sunt, non item solida membra.

APHOR. 8. ARGVM.

Causam exponit cur ex morbo conualescentes non recuperēt vires, etiā si cibum appetant & abunde comedant.

S*I à morbo* iam soluto *cibum sumens aliquis* cum appetitu & largius, *nō corroboratur*, triplici facultate *largiori cibo* quàm facultates naturales imbecillæ in succum conuertere, & in sanguinem mutare possint *vti significatur* corpus. *Quòd si non assumente cibum* à morbo *hoc accidat* vt non corroboretur aliquis, *Scire oportet quòd indiget euacuatione* per phlebotomiam, si corpus est pletoricum, deiectione si cacochymum.

APHOR. 9. ARGVM.

Superioris Aphorismi veluti rationē subiungit.

N*On pura corpora* qualitatis & quantitatis ratione *quanto plus nutries* cibis suæ intemperiei simillimis: *tāto magis lædes*. quippe alimentum quod of-

fertur, corrumpitur, augétque vitiosorum hu morum quantitatem.

APHOR. 10. ARGVM.

Corpora ad purgationẽ pręparãda, ne quis purgationẽ temere instituat hac ratione ægrotãti damnum inferens.

C*Orpora* corporisque partes *cum quispiam purgare voluerit*, speciatim idque medicamento purganti *opordet fluida facere*, cunctis primùm meatibus reseratis, deinde humoribus crassis incisis & extenuatis.

APH. 11. ARGVM.

Quòd adiectione egẽtes citissimè reficere liceat.

F*Acilius est impleri* & refici corpus ob ægritudinem exangue *potu*, liquidóque omni & humido quod facilè alteratur & promptè distribuitur, *quàm cibis* solidisq; omnibus ægrè alterabilibus & transmutabilibus.

APH. 12. ARGVM.

Quid, quæ post indicationem in corpore relinquuntur, efficere soleant.

Q*Væ* excrementa, humorũq; prauorum reliquiæ, & intẽperaturæ *re*-

linquũtur ab ipſa natura imbecilla *in mor bis* poſt criſim imperfectam *recidiuas* & reuerſiones *facere conſueuerunt*, niſi in tẽpore vacuentur à medico quæcũq; à natura imbecilla relicta ſunt.

APH. 13. ARGVM.

Qua ratione futura aut iam facta criſis deprehendatur.

QVibuſcunque criſis quæ ſubita eſt & preceps in morbo mutatio, in melius vel deterius, *fit* aut inſtat, *ijs nox grauis* difficiliſq; & moleſta *ante acceſsionem* prius inuadẽtem. *Quæ verò* nox *ſubſequitur* ipſam iudicationem optimam & perfectam, *magna ex parte leuior exiſtit*: quòd iam natura à ſuperuacuis & corpus moleſtantibus humoribus exonerata ſit, atque adeò commodè tum homo quieſcere poſsit.

APH. 14. ARGVM.

Quibus indiciis cognoſci poſsit num quæ per alui profluuium fit, iudicatio bona & perfecta ſit.

IN *profluuiis alui* à natura ipſa facilis poſt criſim, *Mutationes excrementorum* ad odorem, colorem naturali proximum

mum *iuuant*, quòd corpus à pluribus humorum ſpeciebus repurgent, *niſi ad mala mutatio fiat*, linens nimirum, nigrum, pingue, graueolens.

APH. 15. ARGVM.

Qua ratione iudicatio quæ per abſceſſum fit, bona & perfecta cognoſci poſsit.

VBi *fauces* & os reliquum *ægrotant* aphthiſque infeſtantur, *aut tubercula* prȩter naturam è corpore erumpentia, & pullulantia *naſcuntur in corpore* & cute, veluti excrementorum receptaculo, *excretiones inſpicere oportet*: Vrinas nimirum, deiectiones, ſputa, mucũ, & alia omnia excreta. *Nam ſi bilioſæ fuerint* vt bilioſa tubercula *corpus vnà ægrotat*, bilêque plenum eſt, quam nondum ad cutem natura repoſuit. *Si verò ſimiles ſanis* ſint excretiones, *tutum eſt corpus nutrire*, vtpote excrementis & vitioſis humoribus vacuum.

APH. 16. ARGVM.

Neque ſanis, neque ægris ſimul inedia & exercitationibus vtẽdum: hoc eſt, vbi eſt euacuatio, euacuatione

non vtendum.

VBi *fames* & ciborum defectus spontaneus vel coactus, *laborandum non est*, neque vllo vehementi motu siue animi, siue corporis vtendum: alioqui vires supramodum deiiciūtur, corpúsque plus iusto exiccatur.

APH. 17. ARGVM.

Alimenti non plus quàm naturæ cōueniat exhibendum.

VBi *cibus* vel alimentum *præter naturam plus ingestus est*, vt ab eo immoderatiore grauetur natura corpus nostrum gubernans, *hic morbum facit* ex repletione quę est supra vires naturales coctrices, retētrices. *Ostendit autem sanatio* per vacuationem morbos ex repletione curans.

APH. 18. ARGVM.

Ciborum natura medico diligenter considerāda, vt qui prompté, qui tardè nutriant, non nesciat.

EOrum omnium quę alunt in ventriculo, venis, & vniuerso corpore existentium, *quæ vniuersum* affatim quo-

que &

que & confertim *&* *celeriter* ſimul atque aſſumpta ſunt *nutriunt*, prima, ſecunda, & tertia coctione, *veloces quoque fiunt excretiones*, præſertim ſi habeant eiuſmodi cibi acrimoniam.

APH. 19. ARGVM.

Non omnino turæ acutorum morborum prædictiones, ob id medico in his non temerè pronuntiandum.

A*Cutorum morborum* omnium, etiam ſine febre exiſtentium, *non omnino* neque ſemper *ſunt certæ prænuntiationes*, & prædictiones *aut ſalutis aut mortis*, ob ſubitas quæ in his contingunt mutationes humorũ acutos morbos efficientium naturam ſequẽtes, & quia humor infeſtans ex aliis in alias partes trãſfluit.

APH. 20. ARGVM.

Qui facilè per iuuentutem, in ſenectute magna ex parte ægrè excernunt, qui contrà per ætatis vigorem ægrè, in ſenectute facilè excernunt.

Q*Vibus iuuenibus adhuc* exiſtentibus *aluus humecta eſt*, & deiectio

líquida facilíſque, vel ob frigidam hepatis intemperiem, vel excretiuę potentiæ robur, aut bilem eo profluentem, *his ſeneſcentibus exiccatur*, fitque deiectio ſicca ob flaui bilis inopiam, & facultatem expultricem imbecillem. *Quibus verò iuuenibus adhuc* exiſtentibus *aluus* ſicca eſt, ob nimirum intemperiem calidam hepatis, aut paucam ciborum ingeſtionem, aut tardam deiectionem, *His ſeneſcentibus humectatur*, eadem ſemper victus ratione in ſumendis, admonendis obſeruata.

APH. 21. ARGVM.

Qua ratione vehemẽs fames & implacata appetentia curari poſsit.

F*Amem* & implacatam appetentiam, *vini potio*, potẽtis nimirum & meris, *ſoluit*, calefacit enim.

APH. 22. ARGVM.

Oppoſitorum oppoſita ſibi inuicem remedia, ſatietatis & vacuationis exemplo.

Q*Vicunque morbi ex repletione fiunt* partim geniti, partim gignendi, eos adhuc præſentes *curat euacuatio*

tio, alterius enim morbi causam aufert, & remouet. *Et quicunque ex euacuatione fiũt* morbi, *repletio*, siue refectio, & satietas *curat*: adiicit enim quæ deficiunt, *& aliorum contrarietas*, aliisque contrariis alia curantur, modo simplices præter naturã fuerint affectus.

APH. 23. ARGVM.

Acutorum morborum extremus terminus circumscribitur.

A*Cuti morbi* simpliciter, quinimò exactè acuti, & acutissimi, *in quatuordecim diebus* & intra dies quatuordecim *iudicantur*, crisique finiuntur, fiunt enim ex tenui & acri materia ob acrimoniam promptè resolubili & iudicabili.

APH. 24. ARGVM.

Septimanarum, quæ per quaternarios in duo æqua partiuntur, indicum quoque & iudicatoriorum dierum ratio exponitur.

S*Eptenorum* dierum *quartus est index*. de his enim quæ in septimo, qui est primæ septimanę postremus, futura sunt, quarto die iudicia sumuntur, *alterius septimanæ octauus* dies *principium*, in-

cipit enim ſtatim poſt vltimum primæ diem. *Eſt autem & vndecimus* dies, qui ſecundam hanc ſeptimanam in duo æqua partitur *contemplabilis*, quid enim futurum ſit decimoquarto die demonſtrat. *ipſe enim* dies vndecimus *quartus eſt alterius ſeptimanæ*, cuius principium octauus fuit, *rurſus verò & decimus ſeptimus*, ſeptimanam tertiam in duo æqua diuidens *contemplabilis*, quid enim futurum ſit viceſimo die indicat. *ipſe ſiquidem quartus eſt à quartodecimo* poſtremo ſecundæ ſeptimanæ die, cui tertiæ huius principium copulatur: *ſeptimus verò ab vndecimo* qui quartus erat ſecundæ ſeptimanæ.

APH. 25. ARGVM.

AEſtiuos morbos magna ex parte breues eſſe, autumnales longos, hyemẽ attingẽtes longiſsimos, quartanę febris exemplo.

AEſtiuæ quartanæ nimirum per æſtatem natæ *magna ex parte*, modo omnia omnibus partibus paria reſpondeant: interdum enim quartana ęſtiua autumnali diuturnior nimium à vehementiori cauſa orta, humoréque à quo naſcitur

nascitur copiosiore, *breues*, quòd tum vitiosi humoris ambientis calore per vniuersum corpus fusi promptè discutiantur, meatibus totius corporis patefactis. *Autumnales* quartanę, per autumnum natæ *longæ*, tum quòd autumno sint peculiares, tum quia propter æstatem, quæ præcessit facultates factæ sint imbecilles. Adde quòd per ipsum corpus vniuersum superuacui humoris non ferantur, nec attenuati euaporent meatibus corporis occludi incipientibus. *Et maximè quæ hyemem attingunt*, quòd humoris tum minus sint attenuati, & crassioris, frigoréque meatus corporis intercipiantur, nec humores noxij discutiantur.

APH. 26. ARGVM.

Præstare multò, vt conuulsio febrem præcedat, quàm vt sequatur.

F*Ebrem conuulsioni* ex repletione factæ *superuenire* sponte naturæ *melius est*, frigidos enim humores, neruosas partes opplentis, & conuulsionem efficientes, calefacit, extenuat, discutit, coquit, coctos propellit, & foras

protrudit, *quā febri conuulsionē* exinanitione, hæc enim maximum malum ægrotanti minatur & planè exitiosa est.

APHOR. 27. ARGVM.

Haud confidendum his qui leuant citra aliquā vel sponte vel arte factā euacuationē, atque symptomata pręter rationem accidentia admodum pertimescenda.

H*Is quæ non ex ratione leuant*, & sine aliqua euacuatione spontina aut medica post signa coctionis *non oportet fidere*: recidiuam enim talia minantur, maligniúsque reuertuntur. *neque multum formidare mala* & symptomata oportet: verbi gratia, difficilem spirationē, delirium, vehementem febrem, & id genus alia, *quæ præter rationem eueniunt*. nihil enim mali significant, sed futuram morbi iudicationem ostendunt, quòd prius coctionis signa apparuerint. *Plurima enim talia* & melior valetudo aut peior sine ratione *stabilia non sunt*, quia violenta *neque multum durare & permanere consueuerunt*, sed facta iudicatione desinunt.

APH.

APH. 28. ARGVM.

In exigua febre corpus eodem in ſtatu permanere, vel magis quàm ratio poſtulat extenuari, periculo ſum.

FEbricitantium non omnino latenter, ſed grauiuſculè, & velut media quadam febre inter mitem admodum ac vehementem *permanere corpus, & nihil minui* neque collabi, malum eſt: nulla enim alia de cauſa id euenit, niſi ob cutis denſitatem, humores craſſos, frigidos, glutinoſos, & ęgre ſolubiles, vt neceſſe ſit morbum diuturnum fore. *Vel etiã plusquàm ratio* & magnitudo *poſtulat, contabeſcere* corpus, *malum* quoq; erit. *Illud enim* perſtare corpus & nihil imminui *morbi longitudinem* & diuturnitatem ſignificat: *hoc verò* corpus plus quàm ratio poſtulat eliqueſcere & collabi, *imbecillitatem ſignificat* virium, quæ magna ex parte cutis & humoris tenuitatem conſequitur.

APH. 29. ARGVM.

In vniuerſali morborũ principio cũ materia eſt cruda, vacuanda ea quidẽ ſi turgeat: cæterùm in vigore & ſtatu morbi ab omni remedio abſtinendũ.

C*Vm morbi inchoant* in principio vniuersali dum materia est cruda: *Si quid* turgens *mouendum videtur*, & phlebotomia vacuàdũ, *moue*: vt natura minorem iam factã materiam faciliùs cõcoquere & immutare posiit. *Cum verò consistunt ac vigent*, in ipso vigore morbi & statu *melius est quietem habere*, & ab omni remedio abstinere: tunc enim natura materiam euincit, & concoctio fit, nec auxilio medico eget.

APH. 30. ARGVM.

Causam exponit cur in vigore morbi præsidiorũ vsu supersedendum sit.

C*Irca initia & fines* vniuersales morborum, *Omnia* symptomata, accessiones, vigilię, dolores, silis, inquietudines, & alia id genus *imbecilliora* & leuiora sunt. *cum verò consistunt* in ipso nimirum vigore, in quo natura iam tota in hoc est vt noxios humores cõcoquat, *fortiora* symptomata sunt, morbum sequentia, veluti vmbra corpus.

APH. 31 ARGVM.

Idem docet quod paulò antè, malum nimirum esse vbi eius qui è morbo ci

bum

bum capit non augetur.

E*Ius qui ex ægritudine*, & poſt ægritudinem *bene cibatur* & appetit, *nihil proficere corpus* quoad vires & molem carneam *malum.* nam alterum horũ ſignificat, vel hunc plus ingerere ciborũ quàm facultas adhuc ex morbo imbecillior poſsit conficere, vel malorum humorum tantam eſſe in ventriculo, reliquoq; corpore copiam, vt quicquid ingeſtum fuerit, vnà ſtatim corrumpatur.

APH. 32. ARGVM.

Conualeſcentium qui melius euadũt & à morbo liberantur.

O*Mnes ferè* conualeſcentes è morbo, *qui malè ſe habent* propter prauorum humorum reliquas, *circa initia* conualeſcentiæ *bene cibati* appetentes nimirum & cibum cupientes, *nec quicquã proficientes*, ſed imbecilles remanẽtes, *circa finẽ* & in fine *rurſus cibũ non appetunt*, ob prauorum humorum reliquias, quæ ea quæ aſſumuntur corrumpunt. vnde progreſſu hominis tanta prauorum humorum copia generatur, vt actiones ventriculi, & imprimis appetentia ipſa per-

eant. *Qui verò* conualeſcentes è morbo *circa initia* conualeſcentiæ *cibum valde non appetunt*, ſed ab eo abhorrent, *poſtea benè appetentes* & comedentes, *hi melius euadunt* & liberantur à morbo, quòd è principio parum appetentes, non plus quàm vires conficere queant, aſſumant: hinc fit vt vires quotidie auctę, morbi reliquias prorſus diſsipent, iiſque diſsipatis iterum probè appetant & comedant.

APH. 33. ARGVM.

In omni morbo rationem firmam & conſtantem eſſe, nec appetẽtiam deiici, bonum.

I*N quouis morbo*, ſimilari, inſtrumentali, & communi *mente conſtare*, neque lędi, bonum. quippe hoc ipſum probè eſſe affectum cerebrum omnéſque neruoſas partes ſignificat, *& bene ſe habere ad illa quæ offeruntur*, benéque appetere cibos, appetentia minimè lęſa, *bonum*. ea enim quæ in ventre ſunt, nempe cor, hepar, ventriculus, ſana & robuſta eſſe ſignificat, *contrà verò ſe habere*, vt ſi ratio ipſa & appetentia abolita turbatáque fuerint, *malũ*. hæc enim cerebri, & vẽtris inferioris

rioris ſummã præ ſe ferunt imbecillitatẽ.

APH. 34. ARGVM.

Qui morbi minus habeant periculi, & qui plus.

IN *morbis* omnibus calidis, humidis, frigidis, ſiccis, cum materia & ſine materiat, *minus periclitantur*, minuſque moriũtur ij *quorum natura* temperaturæ totius vel partis, aut ætati annis diſtinctæ, *aut habitui* corporiſque conſiſtentiæ, *aut tempori*: aeri nimirum *magis congruit morbus*. ſiquidem in eiuſmodi breuis eſt in id quod præter naturam eſt lapſus, & rurſus in id quod ſecundum naturam reditus, *quàm quibus ſecundum nihil iſtorum*, Habitus, ætatis, naturæ, &c. *congruit*. periculo enim eiuſmodi non vacant, quod non niſi à maxima & vehementiſsima cauſa excitentur. adde quòd longior in eiuſmodi eſt in id quòd præter naturam eſt lapſus: & ob id etiã longior in id quòd ſecundum naturam eſt reditus.

APH. 35. ARGVM.

Partes ad vmbilicum & imum ventrem ſitas in morbis pręſtare eſſe craſſiores, quàm vehementer extenuatas.

IN *quouis morbo* ſimilarium & inſtrumentalium partium *Partes ad vmbilicum & imum ventrem attinentes*, vt ſunt ventriculus, hepar, lien, renes, vreteris, veſica, vterus, octo Epygaſtrij, muſculi, meſenterium, *craſsitudinem habere*, carnoſamque ſubſtantiam, *melius eſt*. Nam & calor natiuus validior, concoctior, melior, & excretiones validiores, *multum verò extenuari* eiuſmodi partes ad vmbilicum & imum ventrem attinentes, *& contabeſcere*, graciléſque fieri *prauum*. nam & calor natiuus imbecillus eſt, neque fit proba concoctio, neque bonus generatur ſanguis, *ſed & hoc quoque* eiuſmodi partes contabeſcere, & plurimum extenuari, *ad inferiores purgationes*, quæque per inferna fiunt *periculoſum*, purgationes enim minus rectè procedunt, cum ſint abdominis ipſius muſculi excretionis inſtrumenta, fæcum poſſum & vrinæ.

APH. 36. ARGVM.

Hominum duo genera nō temere medicamentis purgantibus vacuanda.

Vi ſalubritatem corporis habent, Q functiones corporis perfectiſsimè obeuntes, atque adeò abſoluta & integra ſanitate præditi, *Per medicamenta euacuati*, fortia nimirum & ab effectu cathartica quæque corpus multum exagitare poſſunt, *citò exoluuntur*, & ſyncope prehenduntur. non inueniens enim medicamentum ſibi cognatum vitioſum & redundantem humorem quem educat, ſpiritus primùm diſsipat, deinde humida diſcutit, & tandem ſolida labefacit. quibus omnibus corpus humanum conſtituitur. *Et qui prauo vtuntur cibo.* per medicamenta euacuati celeriter exoluuntur, nam medicamẽtum corruptos humores à prauis cibis natos attrahens per ſenſibilis corporis partes agit, qui cũ acres ſint, & mordaces, tranſitu ſuo prædictis partibus moleſtiam inferunt animique defectum plurimum pungentes, inferunt.

APH. 37. ARGVM.

Periculoſum eſſe purgare eos qui corpore ſunt commoderato.

Q *Vi bene se habent corpore*, quíque integra sanitate fruuntur, *difficulter*, & periculose, *ferunt medicationes*, non inueniens enim mediatum humorem quem educat vitiosum in corpore commoderato & symmetro, symptomata magna parit, syncopas, vertigines, intensa tormina, & id genus alia: partésque corporis tandem colliquat & absumit.

APH. 38. ARGVM.

Aegroto nonnunquam permittẽdus deterior cibus & potus.

P *Aulò deterior cibus & potus*, causæque omnes salubres, admouenda nimirum, educenda, facienda, sumenda. *suauior autem* eligendus & præferendus, partim vt ægrotãti, qui hoc cibo & potu delectatur, gratificemur, partim etiam quòd illi vti iis ipsis vtile sit. ventriculus enim quæ cum voluptate assumuntur, auidius enim amplectitur, faciliúsque concoquit. adde quòd quicquid in eo cibo & potu praui est emẽdatur, separaturque ab eo quod bonum est, quod subinde per aluum excernitur, *melior-*

bus quidem cibis & potibus, *ſed minus ſuauibus præferendus*, modò ſit ille paulò deterior. nam ſi valde ſit prauus cibus & potus, nulla ratione ęgrotantibus concedi debet. His enim ſolùm in his gratificandum, ad quæ nulla magna ſequitur noxa.

APH. 39. ARGVM..

Rarius ſenes quàm iuuenes in morbos incidere.

SEniores *iuuenibus plurimum*, magnáque ex parte, *ægrotant minus*, quòd continentiſsimè viuant: nec perinde, vt iuuenes, in victus ratione peccēt, aqua intemperatiore ſuperuacua complura in corpore & cruditates tandemque morbi generantur, *Qui vero morbi ipſis accidunt*, per incontinentiam aut alia de cauſa, *longi* & diuturni, *maxima ex parte comitantur ad mortem*, & inſanabiles tota vita durant, idque propter virium imbecillitatem, quæ frigidos morbos, quibus vt ſimilibus prehenduntur ſenes, concoquere non poſſunt.

APH. 40. ARGVM.

Poſtremam præcedentis aphoriſmi

partem exemplo confirmat.

R*Aucedines* siue raucitates, humorúmque à capite ad fauces destillationes, *& grauedines*, humorum ad nares decubitus, *in valde senibus coctionem non admittunt.* neque concoquuntur propter caloris inopiam & virium imbecillitatem.

APH. 41. ARGVM.

Quando in animi defectione ægrotantes mori contingit.

Q*Vi frequenter & fortiter* multísque vicibus, *absque causa manifesta*, extrinsecus eueniente, *exoluuntur*, animíque defectionem patiuntur, *de repente moriuntur.* quòd vitale robur in iis admodum imbecille sit.

APH. 42. ARGVM.

Quænam Apoplexia curari, quæ minus possit.

S*Oluere* & curare *Apoplexiam fortem* & vehementem *impoßibile* propter ablationē respirationis, sine qua nemo viuere potest. *debilem verò* apoplexiā

curare in qua ordinem aliquẽ ſeruat reſpiratio ipſa *non facilè*, ſed omnibus magna diligentia adhibitis præſidiis.

APH. 43. ARGVM.

Quãdo ij qui ſtrangulãtur ad vitam redeunt, & quando minus.

STRangulati laqueo aut manuum iniectione quæ inſtar laquei ſunt, *atque diſſoluti nondũ mortui*, qui tamẽ mori debent ob ſtrangulationem, *non referuntur*, nec ad vitã redeunt *quibus ſpuma circa os fuerit*. in his enim vehemẽtiſſimè cor incenditur, & pulmones magna cum vehementia ſucuſſantur.

APH. 44. ARGVM.

Natura obeſſos celeriùs mori quàm graciles.

QVi natura ſtatimque ab ortu & ineunte etate *admodum craſsi ſunt* & obeſi, *citiùs intereunt* & moriũtur, *quàm qui graciles*. gracilioribus enim plus caloris innati quàm obeſis ineſt.

APH. 45. ARGVM.

Pueros comitiali morbo laborantes triplici potiſſimum ratione liberari.

Vicunq; *pueri morbo comitiali*, quem epilepsiam medici vocant, *laborāt*, eaque affliguntur, *mutatione maximè etatis* puerilis in iuuentutē, quę calida est & sicca, morbo comitiali frigido, humido, aduersa. *Et locorum*, cum nimirū in calidiorem & sicciorem regionem transferuntur, *& victuum quoque*, quo nimirū calidiorem & sicciorem habitum corporis efficiunt, *liberantur*, & maximè quicūque à pituita prouenit.

APH. 46. ARGVM.

Vrgentiori dolori primò succurrendum duorum dolorum exemplo.

D*Vobus doloribus non eodem in loco* neque corporis parte eadem *infestantibus* cum sensu tristi & molesto *vehementior alterum obscurat*. vis enim sensifica tota ad vehemētiorem distrahitur. ob id minor minus sentit.

APH. 47. ARGVM.

In tumoribus præter naturam dolores & febres excitari cū pus cōficitur.

D*Vm pus*, substantia crassum, *conficitur*, & elaboratè *dolores* fiunt, ratione qua materia circunstantes par-

es intendit ob ipsius fusionem & spiri-
tuum dissolutionem, *ac febres accidunt ma-
is* corde concalefacto *quàm iam cõfecto.*
quippe materia tum attenuata est, & mul
tum spirituum exhalauit, putrida deniq;
concocta sunt.

APH. 48. ARGVM.

Contraria contrariorum esse reme-
dia, motus & quietis exemplo.

IN *omni corporis motu* vehemẽtiore *vbi
laborare cœperit*, fatigari quoque & do-
lere, *quies statim lassitudinẽ aufert*, quòd
in ea vires reficiantur ac reparentur.

APH. 49. ARGVM.

In obeundis exercitiis cõsuetudinem
multum posse.

Q*Vi consueti* sunt *solitos labores* at-
que adeò omne exercitij genus
ferre multis actib⁹ frequẽter ite-
tatis, *& si fuerint imbecilles* minusque vi-
rium habeant, *aut senes* quibus paucũ ca-
lidum innatum inest *non consuetis* labores
eiusmodi ferre, *fortibus atque iuuenibus fa
cilius ferunt.* partes enim corporis ita ex-
ercitatæ robustiores euadunt, mutuo ip-
sarum attritu gemini caloris augmento,

& ſpiritibus citatiore motu.

APH. 50. ARGVM.

Longo tempore conſueta inſuetis minus moleſtare de conſuetudine tandem immutanda cogitandum.

Q*Væ ex longo tẽpore cõſueta ſunt* & penè in naturã tranſierunt, *& ſi deteriora ſunt*, & haudquaquã natura bona *inſuetis*, natura innocuis *minus moleſtare ſolent* & nocere. *oportet igitur* nõ repente, ſed paulatim *ad inſueta permutari*, idque non in omni etate, ſed iuuentute maximè fieri debet.

APH. 51. ARGVM.

Naturam ſubitas mutationes nõ ferre, atque adeò illi nimium omne aduerſum & inimicum.

P*Lurimum* & plusquàm vires tolerare poſſint *atque repente euacuare* omnes ex æquo humores educendo *vel replere* plurimum ac repente non vacat periculo, quòd id vel ſuffocatio vel vaſorum aliquorum ruptio ſubſequatur *vel calefacere, vel refrigerare* plurimum ac repente *periculoſum*. Hoc enim ſtuporẽ inducit natiuũque calorem extinguit, illud verò humores

mores exurit & febres incēdit, *siue quouis alio modo corpus mouere*, vt exercitiis, balneis, *periculosum* plurimum ac repente illa facere, propterea quòd *Omne nimium & repentinum est naturæ inimicum*. commoderationē enim elemētorum euertit, *sed quod paulatim fit tutum est* periculoq́; vacat, *tum aliàs* & præsertim *cum ab altero* aliquo cui assueuimus, *ad alterum* insolitum *transitus fit* & progreditur.

APH. 52. ARGVM.

Non temere medico mutationi medicamentorum studendum.

O*Mnia secundum rationem facienti* recteq́; ratione inueniēti quid morbus, quid ægri tēperatura, ętas, vires, anni, tēpora, locus, consuetudo, & cætera id genus exigant, *si non succedat secundum rationem* adhibitis sedulò præsidiis omnibus: *Non est transeundum ad aliud* facultate diuersum medicamentum, *stante* & perseuerante *eo quod à principio visum est*, vt si is sit morbus quem esse ab initio putauit, nec aliud interueniat symptoma quod illum à priore instituto recedere cogat.

APH. 53. ARGVM.

Eadem magna ex parte fieri quæ Aphor. 20. ſectionis huius ſecundæ docuit.

Vicunq; aluos humidas habent, vel Q ob cibi largiorem copiam, aut feſtinam deiectionem, vel intemperiem frigidam hepatis, *ſiquidem iuuenes fuerint, melius commutant* & degunt *his qui ſiccas habent* aluos. *ad ſenectam verò deterius commutãt*, & deterius agunt. *nam ſeneſcentibus magna ex parte exiccãtur* alui.

APH. 54. ARGVM.

Longam ſtaturam quæ in iuuentute pulchra eſt, matura ſenectute cõfici.

M*Agnitudo* & proceritas *corporis iuuentæ quidem, neque indecens, neque illiberalis*, ſed pulchra & decora ꝓpter rectitudinem. *ſenectæ verò inutilis* ac indecora *& deterior paruitate*. nã iſta mole grauati ſenes incuruantur, ac gibboſi redduntur.

Aphorismorum Hyppocr. Lib. III.

ARGVMENTVM.

Tertius hic liber reducitur ad Aetiologiam ferè, locos duos communes, indicans vires ætatum, & morbos varios per ætates.

APH. I. ARGVM.

Anni temporum mutationes præsertim magnas & repẽtinas in ipsis particularibus anni temporibus accidentes procreare morbos.

Mutationes temporum anni, sese mutuo consequentiũ, & succedẽtium inuicem, ipsęque adeò temperamentorum alterationes, *potissimum pariunt morbos*, quæ vt causæ effectrices, & externę morborum gignendorum: quippe horum mutationes aerem etiam, quem assiduò inspiramus, corpora subinde nostra

alterant, humorésque varios generant, & potissimum in his quæ sunt ad patiendum apta & idonea, *& in quibusdam temporibus*, vt in aliquo vno tempore *magnæ* & repentinæ *mutationes aut frigoris, aut caloris*, verbi gratia hyeme, vel ęstate, vel autumno pariunt morbos, *& alia* alięque mutationes *pro ratione eodem modo* parere solent morbos. vt est mutatio humiditatis, vel siccitatis, ventorum copia, aut defectus.

APH. 2. ARGVM.

Aliquas hominum temperaturas esse quæ ad æstatem bene se habeant, aliquas quæ ad hyemem.

NAturarum hominum, quæ temperatura est ex quatuor elemẽtis cõstans, *hæ quidem* frigidæ, humidæ *ad æstatem* bene se habent, quod harũ excessus & immoderatio ætatis caliditate & siccitate corrigatur ac temperetur. *hæ verò* calidę & siccæ naturæ *ad hyemẽ bene maléue se habẽt*. bene quidem quòd per vtráque oppositionem hyemis emendetur excessus & ad symmetriam fiat reditus: malè verò frigidæ humidę quòd à fi-

[si]mili hyemis temperatura earundem ex[c]essus augeatur.

APH. 3. ARGVM.

Morbos & ætates magis aut minus esse procliues & habiles ad ipsa loca & victus rationes.

MOrbi quoque alii ad alia anni tẽpora *bene vel male se habent*, suntque magis aut minus procliues & habiles ad ipsam generationem & curationem, *& quædam ætates* bene vel male se habent *ad ipsa*, vt æstatem, hyemẽ, non ad generationem quidem, sed ad curationem. *& loca & victus genera* bene vel male se habent ætates quędam & naturæ.

APH. 4. ARGVM.

Autumnales morbi quando expectandi.

IN *temporibus* anni quibusuis *quãdo eodem die modo calor* vt meridie, *modo frigus* vt in ipsa aura & vesperi rursus *fit*, idque plurimis consequenter diebus *autumnales morbos expectare* oportet qui inęquales sunt & incõstãtes maliq; iudicij.

APH. 5. ARGVM.

Ventos ipsos magnũ habere momen-

tum in procreandis morbis aliiſque corporis malis, Auſtri & Aquilonis exemplo.

AVſtri natura calidi, humidi, à meridie ſpirantes, *auditum hebetantes*, vt qui ſua humiditate ſenſuum inſtrumenta impleant & obtundant, *caliginoſi*, & ratione oculorum, quos obtenebrant, & ratione ſui, dum turbulentum, craſſum, & caliginoſum aerem efficiunt, *caput grauantes*, quòd hoc ipſum nimia humiditate compleant, *pigri*, pigritiamque inferētes, principio neruorum plus ęquo humectato *diſſoluentes*, & lāguidos reddētes, quòd corporis partes omnes, neruos potiſſimū, relaxent, *quando eiuſmodi tempeſtas* & cōſtitutio auſtrina *præualuerit*, longoq; tēpore durauerit, *talia* ſymptomata *in morbis patiuntur* qui ægrotant. *At ſi Aquilonia fuerit* conſtitutio & tempeſtas auſtrinæ contraria, *tuſſes* fiunt, quòd tum frigidus inſpiretur aër, qui aſperam arteriam, aliaque inſtrumenta inſpirationi ſeruientia lædit, *fauces*, & fauciū aſperitates fiūt, quòd aer inſpiratus faucibus primū occurrens eas inæqualiter deſiccat, & exaſperat

rat. *Alui duræ*, totũ enim corpus flante *B*orea exiccatur, & feces lõgiori tẽpore detinentur, nec excernuntur, *difficultates vrinæ*, quòd vesica pars neruosa ab Aquilonis frigore offenditur, *horrores* fiunt, quòd aër frigidus sit, & consequio totum corpus frigescat, *costarum dolores, & pectoris*, ob frigiditatem, quæ has partes mala qualitate afficit, & ad respirationis motum ineptiores reddit, *quando hæc tempestas præualuerit*, & Aquilo vehementior & crebrior cæteris ventis fuerit *talia*, symptomata, *in morbis* iam factis *expectare oportet*.

APH. 6. ARGVM.

Qua ratione febres in ea æstate quę Veri similis est, finiantur.

Q*Vando æstas* natura calida sicca *fit veri similis*, & temperaturam cõmoderatam habet, *Sudores multos in febribus*, & morborum aliorum, qui sudoribus finiuntur, iudicationibus *expectare oportet*, nam nunc æstas moderato suo calore humiditates corporis ad cutim trahit, non autem per modum vaporis discutit, vnde vniuersa humiditas

e

in febriũ iudiciis excreta ſudores efficit.

APHO. 7. ARGVM.

Temporis ac totius anni cõſtitutionibus reſpondere morbos magna ex parte.

IN *ſiccitatibus*, & tẽporibus plus iuſto ſicciorib⁹. *febres acutæ*, quæ citò deſinuũt, & grauia habẽt ſymptomata, *fiunt*, ſiccitas enim humores efficit bilioſos, qui ſubinde febres pariunt acutas, *&* *ſi annus* vniuerſus *magna ex parte talis fuerit*, vt ſiccitas humiditati præualeat, *qualem fecerit conſtitutionem*, ſiccam, humidã, calidam, *tales vt plurimũ morbos oportet expectare*, ſiccos ac bilioſus, atq; adeò acutos, ſi anni cõſtitutio ſicca, humidos, pituitoſos, & longos morbos ſi humida fuerit.

APH. 8. ARGVM.

Quibus anni tẽporibus ſynceri morbi, & boni iudicij fiant, & quibus inſtabiles maliſque iudicij.

IN *conſtantibus temporibus*, & moderatis, quæq; ordine quodam ſuam ſeruãt tẽperaturã, *cũ tẽpeſtiuè*, oportunè nimirum, ac ſuo tẽpore *tẽpeſtiua*, oĩa *redduntur*, vt cum ſyderum ortus & occaſus

casus,pluuia,serenitas,& venti ordine na
turali fiunt, *morbi constantes*, stabiles,fa-
ciles, & synceri, *bonique iudicij fiunt*,quip
pe tum naturæ, & facultas robustæ sunt,
faciléque morbi stabilis causas demoliũ-
tur. *In inconstantibus autem*, & immode-
ratis temporibus,in quibus nihil mode-
ratum existit,sed omnia turbata ,*incôstan
tes*, instabiles,inquieti,& turbarum pleni
morbi fiunt, *at mali iudicij*, quòd statim
pernitiosi,cũ periculosis & grauibus sym
ptomatibus iudicentur, vel omnino fa-
ciant recidiuam.

APH. 9. ARGVM.

Autumnũ magna ex parte insaluber-
rimũ esse, Ver autem saluberrimum.

A*Vtumno morbi acutißimi*, vehemen-
tissimiq;,& ad suum vigorem celer-
timè properantes,*atque exitiosißimi,
maxima ex parte*, ꝓpter eius inęqualitatẽ,
quæ multorum prauorum humorum cau
sa existit : deinde quòd ęstiuum tempus,
quod præcessit, humores veluti assauit.
Præterea per æstum vires redditæ sunt
imbecilles , atque adeò vitiosi humores,
iterum petere ob ambientes frigiditatẽ,

quę matutino tẽpore ac veſperi viget, ꝓfundũ corporis incipiũt. Adde quòd hoc tẽpore propter fructuũ ferè omniũ copiã praui humores procreantur. *Ver verò ſaluberrimũ.* Propterea quòd ſit temperatũ, *& minimè exitiale*, minúſq; exitioſis morbis obnoxiũ. Vtcunq; autẽ in vere morbi cõtingant, tamen omnes eiuſmodi erũt, vt periculo vacent.

APH. 10. ARGVM.

Autumnum tabidis & extrema conſumptis macie pernitioſum.

Vtumnus tabidis, & quibus pulmo exulceratur, *malus*, carnibus enim & omni pinguedine deſtituti, nullũ omnino propugnaculũ habent, quo ab iniuria cauſarum externarum vindicẽtur: quippe autũni frigus in profundũ ſubiẽs, pulmonẽ potiſsimũ aliáſq; principes partes infeſtat & lędit.

APH. 11. ARGVM.

Anni tẽpora à ſua commoderatione recedẽtia, multa mala hoĩb⁹ adferre.

D*E temporibus* anni, *ſiquidem hyems:* quæ cum moderata eſt, nec validè ſicca eſt, nec ſupra id quod opportunum eſt frigida, *ſicca & Aquilonia fuerit*

rit, pauólq; quàm suæ naturæ conueniat, & siccior, & frigidior, *Ver verò* alioqui temperatũ, *pluuiosum* assiduò, *& australe*, calidũq; *necesse est æstate*, modo suam hæc ipsa seruet naturã, fieri *febres acutas*, humiditates enim in nostrũ corpus receptæ, tũ ebulliunt, & corrũpũtur, vnde per arterias ad cor perueniẽte corruptiõe, febres acutæ necessariò fiunt, *& lippitudines*, caput enim humiditatibus plenũ cũ sit, hi superueniente æstate efferuescunt, & ebulliunt, & per venas neruósque suos ad oculos decumbũt. *Et intestinorum difficultates fieri*, eadem materia ebulliente, & à capite ad intestina transmissa, quæ tandem sua mordacitate intestina corrodit, & exulcerat. *Præcipuè verò mulieribus*, humidis & ociosis, *& viris qui natura sunt humidiores*, ob id paratiores ad supradictos affectus.

APH. 12. ARGVM.

Variè affici homines ob duas alias tẽperaturas temporum supradictorum non naturales.

I verò hyems Australis, calida nimirum, *& pluuiosa* suprà modum

fuerit, ver autem siccum, & Aquilonium, frigidum nimirum, vt præscriptæ hyemi simile sit, sibique ipsi opponatur, *mulieres quibus partus ad ver inest*, & imminet verno ipso tempore, *ex quacunque occasione abortiunt*. quãdoquidem cotyledones ob humiditatẽ relaxantur, & vis frigoris vterum penetrat, fœtumq́; lædit, qui subinde calcitrans, & sine ordine se mouens, ligamẽta & cotyledonẽs disrũpit, & tandem egreditur, potentia excretice suscitata, & fœtum propellente. *Quæ verò pariunt*, vbi ad legitimum vsque tẽpus in vtero gestauerint, *imbecilles*, & inualidos, *& morbidos infantes pariunt*, legitimo tẽpore expectato. *quare vel statim intereunt*, ob subitam in contrarium mutationem: *Vel tenues & valetudinarij viuunt*, emendata noxa quam in vtero cõtraxerunt, recta victus ratione, aliisque commodis præsidiis. *Cæteris verò*, iunioribus nimirum hominibus, ceu pituitosis: *difficultates intestinorum*, ob pituitam, quę à capite ad ventrem defluit, in quo moram diutiùs trahens mordet, atque ab radit intestina, *Lippitudines siccæ fiunt*, biliosis

liosis maximè, frigus enim superueniens, veluti manus quædam extrinseca, capit quandam vti spongiam cerebrum, atque adeò exprimit illam, quæ in ipso cõtinetur humiditatem. *Senioribus autem destillationes*, & fluxiones, *quæ cito interimunt*, quod per venas à capite, ad partes inferiores tendant plenitudinem facientes, & neruorum dissolutionẽ, vnde & velociter terminantur.

APH. 13. ARGVM.

Aestatem & autũnum à sua cõmoderatione declinantia hominibus morbos inferre.

S*I verò æstas sicca fuerit & Aquilonia*, frigida nimirum, atque adeò à sua naturali temperatura, quæ calida est, declinauerit, *Autumnus verò pluuiosus* admodum, *& australis* fuerit, *Dolores capitis ad hyemem fiunt*, siquidem humidus supramodum autumnus caput multis humiditatib⁹ explet, quas frigida hyẽs quæ subsequitur, in vnũ cogit & cõpingit. *Et tusses*, hũorib⁹ nimirũ à capite expressis, & ĩ thoracẽ defluẽtib⁹. *raucedines*, siue raucitates ꝑdictis hũorib⁹ ad fauces deriuatis

atq; *grauedines*, vbi ad nares humor delabitur, *quibusdam autem, & tabes*, pulmonumque exulceratio, & maximè his, qui ad eam apti sunt.

APH. 14. ARGVM.

Autumnus perinde atq; æstas Aquilonius & siccus, quos morbos inferat.

I verò aquilonius sit & siccus, autũnus perinde atque æstas, *his qui naturam habent humidiorem*, & molliorem, *& mulieribus*, pituitosis & mollibus, *conferet*. exiccantur enim ob hanc cõstitutionem, & ad hyemem exiccati perueniunt. *Reliquis autem*, qui nõ sunt natura prædicti, *erunt lippitudines siccæ*, siccantur enim supramodum, ob id lippitudines siccę eueniant, *& febres acutæ*, quòd nimirum tenuissima parte bilis resoluta maneat acerrima, *& longæ*, vt quartanæ sunt, bilis siquidem atra, ex qua hæ proueniunt, bifariam generatur, & quòd flauę bilis supassetur absumiturq; & quòd sanguis crassescat, *nõnullis verò*, nõ omnibus enĩ accidunt, *& atræ biles* melancholiæque, & potissimum his qui atra bile naturâ abundant.

APH.

APH. 15. ARGVM.

Simplicem totius anni temperaturã ſiccam imbribus aſsiduis præferendam.

E*X anni autem conſtitutionibus*, tempeſtatibúſque, & diſpoſitionibus, *quod in totũ dixerim*, vtq́; ſimul omnia comprehendam, *ſiccitates imbribus ſunt ſalubriores*, humiditates enim ſuperfluæ temporibus ſiccis exiccantur, neque tot generãtur, & qui iã geniti ſunt corrigũtur. Adde ſiccitatẽ à putredine liberare, quam humiditas inducit, *& minus mortiferæ*, plures enim ab humiditate, putredinum cauſa, quàm à ſiccitate conſeruatiua mori conſtat.

APH. 16. ARGVM.

Prædictas duas conſtitutiones vari morborum genera adferre.

M*Orbi in pluuiarum multitudine*, pérque aſsiduos imbres, *magna ex parte*, in humida enim conſtitutione alij etiam morbi ab Hyppocrate non commemorati naſci poſſunt, *fiunt febres longæ*, nam corpora multa humiditate implentur facilè putreſcente, quæ

non nisi in longo tēpore concoqui potest, quòd vt plurimum crassa, glutinosa, & densa sit, *alui profluuia*, homines enim in humida constitutione crebrò per aluū egerunt illam humorum superabundantiam. *Putredines*, simpliciter & absolutè, *morbi comitiales, & apoplexia*, nam hæc duo mala ex pituita, quæ per imbres generatur, nasci consueuerunt, *& anginæ*, nonnunquàm superfluitatum multitudine ad fauces collecta, vel magna ex parte fluxionibus ex capite firmatis in faucibus, *in siccitatibus autem tabes*, morbíque tabem adferentes, fiunt, exclusa tamen pulmonis exulceratione, quæ in sicciore tempore potiùs curatur, quàm irritetur. *Lippitudines* siccæ, materia nimirum biliosa, aridáque ad oculos transmissa, per siccitates, quæ & pruritum excitat, & ipsos exulcerat,. *Articulorum dolores*, non quidem omnes, sed ij tantum qui ex humorum acrimonia, ad articulos decumbente procreantur, quod accidit si accesserit etiam siccitati caliditas, *stillicidia vrinæ*, quoniam biliosi humores & acuti mordent, & continuè excitant

vesicā

vesicã, & stillatim effundũt vrinã, *& difficultates intestinorum* accidunt per siccitates ingentes.

APH. 17. ARGVM.

Quæ commoda, quæque nocumenta quotidiana constitutio pariat.

Q*Votidianæ autem constitutiones*, perseuerantes, *Aquiloniæ quidem*, frigidæ siccæ, *corpora densant*, sua frigiditate *contendunt*, robustioráque reddunt, & validiora. *Et bene facile*que *mobilia*, quòd superuacuas corporis humiditates exhauriant, ac disipent, liuioráque corpora, & ad motum promptiora efficiant, *coloratiora*, quòd omnes actione, à naturales, & sanguinis probã in iecore elaborationem coadiuuent, *& melius audientia faciunt*, omnes enim actiones animales firmant. *Et aluos exccant*, duráſque efficiunt, vt suprà Aphoris. 5. dictum est. *Oculos mordent*, sua frigiditate, non erodendo vt calidum, sed continuũ diuellendo, *& si pectus* ipsúmque adeò thoracem, *dolor aliquis obsederit*,

dolorem augent, nec mirum, cùm eum etiã qui prius non adfuit excitent, quippe frigidum inimicum oſsibus & pectori exiſtit. *Auſtrinæ*, conſtitutiones calidæ humidæ, *diſſoluunt corpora*, languidaque red dunt, *humectãt*, *auditum obtundunt*, *capita aggrauant*, ob cauſas præcitato Aphor. adductas. *& Vertigines faciunt*, excitantur enim flatus, capite humiditate multa oppleto, qui circa oculos mouẽtur, & ver tigines pariunt. *oculis atque corporibus difficilem motum præſtant*, ſiquidem principio neruorum humectato circa voluntarios motus pigritiam apparere neceſſe eſt, *& aluos humectant*. & per eas liquidè per inferiora excernuntur.

APH. 18. ARGVM.

Quæ quibus ætatibus ſint maximè commoda tempora.

PEr tempora anni, *vere quidẽ temperato & prima æſtate*, principio nimirũ ęſtatis, *Pueri & qui hos ſequuntur ætate*, nempe adoleſcentes, *optimè degunt, & ſani ſunt maximè*, quòd eorundem naturæ temporum horum temperatura maxi-

mè conueniat. adolescentes enim quorũ natura tẽperata est, in ipso vere quod itidẽ temperatũ existit, optimè degũt, pueri autẽ æstatis principio, hoc enĩ parũ à mediocritate ad calorẽ & siccitatẽ declinat, atq; adeò puerorũ naturæ, quæ calida & humida est, magis quadrãt. *Aestate verò & Autumno*, autumni nimirũ prima parte, *vsque ad aliquid sen*[illegible]*s* optimè degunt, vtpote natura frigidi, *reliquum & hyeme*, optimè degunt, *qui mediam ætatem habent*, inter adolescentiã & senectutẽ, quos iuuenes & florentes ætate rectè appellaueris, hi enim cũ calidi sint & sicci, hyeme quæ contraria est, salubrius degunt.

APH. 19. ARGVM.

Omnia morborum genera in singulis anni temporibus irruere posse nedum horum temperaturæ congenera.

M*Orbi omnes quidem* generísque omnis *in omnib⁹ tẽporibus fiũt*, nullo temporis ad tẽpus habito discrimine. *Quidam verò* morbi *magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & excitantur*, quòd hæc tempora morborum eiusmodi naturæ sint accommodata.

APH. 20. ARGVM.

Morbi recenſentur magna ex parte accidere ſoliti verno tempore.

VEre etenim furores & atræ biles fiũt, non quòd hoc tempore bilioſi & melancholici humores generentur, ſed quòd aliis temporibus procreati ſint, ác hyeme in corporis profundo delitеſcentes nunc tandem veris caliditate diffuſi ac cõmoti maniam ac melãcholiam pariant, *& morbi comitiales*, propter pituitam per hyemẽ in corpore natam, vere autem commotam & diffuſam, *& profluuia ſanguinis*, omnéſque ſanguinis excretiones mediocres ſiue per nares, ſiue per hæmorrhoides: ſiue per: vterum fiát, verno enim tempore ſanguis creſcit, ac incrementum ſuſcipit, *& anginæ*, quòd humores diffuſi ad fauces aut guttur con fluant, ibique iuflammationem pariant, *& grauedines, & raucedines, & tuſſes*, pro pter pituitam hyeme in capite natam, vere autem diffuſam ad nares, aut fauces, aut pulmonem defluentẽ. *Et lepræ*, quòd ipſo vere praui & maligni humores à profundo corporis, vt centro, ad cutem ipſam

ipſam, vt circunferentiam deferantur. & *impetigines* ex ſeroſis, tenuibus, acribúſque humoribus, vnà cum craſsioribus permixtis generari ſolitæ, & *vitiligines*, quæ quandoque à pituitoſo, quandoque à melancholico humore fiunt, & *puſtulæ vlceroſæ plurimæ*, & *tubercula*, ad cutem nimirum malorum humorum abundantia euocata, & *articulorum dolores*, ad quos vt viliores & imbecilliores, à natura alieni humores deferuntur.

APH. 21. ARG

Aeſtiui morbi exprimuntur, quorum quidam proprij, quidam alieni ſunt.

AC *State autem*, eius videlicet initio, *nonnulli* morbi fiunt, *horum*, qui ſcilicet vere accidunt, & *febres continuæ*, & *ardentes*, ob flauam bilem, quæ plurima æſtate acer uatur, intra vaſa putreſcentem, & *tertianæ plurimæ*, ob ſupradictum humore extra vaſa putreſcentem, & *quartanæ*, atque hæ quidem in extrema ęſtatis parte, quæ ad autumnum vergit, eiúſque naturæ proxima eſt, accidunt. & *vomitus* biliosa materia, quæ leuis eſt, exu-

berante, & vomitum proliciente. *& alui profluuia*, bilioſo humore per inferiora defluente & excretionem irritante, *& lippitudines oculorum & aurium dolores*, cum enim calida ſit æſtas, humores diſſol uit meatúſque aperit, *& oris vlcerationes*, propter bilioſos humores ad os delatos, *genitalium putredines*, nam cum hæ partes humidiores ſint, humiditas à caliditate promptè corrũpitur, *& ſudamina*, quæ puſtulæ ſunt, à ſudoribus bilioſioribus vel mordacioribus prouenientes.

APH. 22. ARG.

Morbi autumno potiſsimum fieri ſoliti exponuntur.

A *Vtumno verò plurimi æſtiui morbi fiunt*, manente adhuc autumni initio, bilioſo humore à quo febres continuæ, & tertianæ aliíque à flaua bilo nati morbi fiunt, *& febres quartanæ*, vtpote illi peculiares, duplicem habentes generationem, alteram à flaua bile ſuperaſſata, alteram à ſanguine craſſo, *& erraticæ*, atque incertæ ob atram bilem, quæ in quibuſdam partibus mo-

uetur

uetur, in quibuſdam immota manet, in aliis putreſcit aut feruere incipit. *Et lienes*, magni ob atræ bilis ſuperfluitatem, *aquæ inter cutem*, ex liene accidentes, is enim per longos morbos contrahens duritiem, ad conſenſum ſubinde agit iecur, omnique corpori iſta ratione aquam intercutem conciliat. *Et tabes*, propter frigiditatem, & ſiccitatem, & temporis in--qualitatem, atque adeò propter humorum prauitatem, *& ſtillicidia vrinæ*, humorum peruerſitate penetrante, & ſua infeſtante acrimonia excretricem facultatem, *& difficultates, & lenitates inteſtinorum*, quæ prope finem ipſius autumni fiunt, ſuntque ferè inſanabiles, *& coxēdicum dolores*, ob malignitatem humorũ & frigiditatem, *& anginæ*, bile ad faucium muſculos delata, *Aſthmata*, ob humorum motum ad partes interiores, & frigiditatem, *Ilei*, ſiue voluuli craſsitie humorum nutrimenti tranſitum obſtruente, vel inflammante, *morbi comitiales*, propter repentinã ad contraria tranſmutationem, *furores*, ob tenuem ac bilioſorum humorum malignitatem, *atræ*

biles, ob melancholicum humorum.

APH. 23. ARG.

Morbi quoque hyeme, suam naturam seruante, fieri soliti recensentur.

HYeme verò, modo seruet suã naturã, *morbi laterales*, & pleuritides fiunt, inflammata membrana intrinsecus costas & latera succingente, ex decubitu pituitosi humoris, & biliosi præsertim. *Pulmonis inflammationes*, ob intensum frigus, *grauedines*, *raucedines*, *tusses*, quorum omnium causas superius adduximus. *Dolores pectoris & laterum*, & potissimum, qui in carnosis costarum partibus oriuntur, vel qui ex plurimis cruditatibus cibisque crassis ac pituitosis, crudos humores generantibus fiunt, qui cum se repente in vacuum thoracis locũ aut in ipsum pulmonem recipiũt, imaginationem factæ inflammationis exhibent, *atque lumborũ*, ob frigus & pituitosos humores, *capitis dolores*, *vertigines*, *& apoplexiæ*, propter causas suprà expositas.

APH.

APH. 42. ARGVM.

In diuersis ætatibus diuersos fieri morbos.

IN *ætatibus autem talia contingunt, paruis & nuper natis puerulis oris vlcera quæ Aphthæ vocantur.* ob instrumentorum molliciem, quæ neque tactum, neque lactis sustinent qualitatem, in qua serum est, vim abstergendi naturaliter habens. *Vomitus*, propter lactis quod assumunt abundantiam, ventriculum grauantem. *Tusses*: nam pueris facillimè propter cerebri humiditatem ad pulmonem asperamque arteriam defluentem tussis accidit. *vigiliæ*, propter mala, quibus infestantur, nempe oris vlcera, vomitiones, vmbilici inflammationes, quæ quidem, vtpote dolorem excitantia, vt minus dormiant efficiunt: vel accidunt vigiliæ, quando lac in ventriculo corrumpitur, acrésque humores sursum efferuntur ad caput, cerebrum exiccantes, *pauores*, propter alimenta in ventriculo corrupta, quæ subinde ob vapo-

res ab iis ſurſum latos terribilia ſomnia excitant. *vmbilici inflammationes*, quòd recenter abſciſsi fuerint .ideoque inflammatio fit ſicut in aliis partibus abſciſsis fieri ſolet, *aurium humiditates*, ob nimiam totius corporis, & capitis humiditatem.

APH. 25. ARG.

Quibus morbis corripiantur pueruli ad dentiendi tempus accedentes.

I*N progreſſu verò cum iam dentire incipiunt*, vt ſeptimo mẽſe, *gingiuarum prurigines* habent, quòd dentes prodeant, & tanquam ſtimuli gingiuarum carni infigantur: *Febres*, propter dolorem, & gingiuarum inflammationem, *conuulſiones*, tum propter crudum alimentum, & quia neruoſæ partes nondum ſatis validæ ſunt. *alui profluuia*, quoniam alimentum non bene coquitur, neque diſtribuitur, *& maximè cum caninos*, canum dentibus exertis ſimiles, *edunt dentes*. cùm enim acutiores

res

res cæteris ſint dentibus, nihil mirum, ſi maiores quãdoq; febres, & inflammationes excitent, *& iis præſertim pueris, qui craſsimi ſunt*, accidunt ſuperiores morbi, & potiſsimũ conuulſiones, *& aluos duras, adſtrictiſque habent*, quæ plenitudinem & ſeruant, & augent.

APH. 26. ARG.

Quibus morbis prehendantur, qui mediam agunt ætatem inter dentientes, & pubertati proximos.

C*Vm verò iam magis adoleuerint*, & ætate paululum proceſſerint, *tonſillæ* fiunt, inflammationéſque partium, quæ ſunt ſecundum oris, gulæque interſtitium, *& vertebræ quæ in occipitio*, & ſpina eſt, *ad interiora luxationes*, & inclinationes. ab iis enim partibus contrahuntur nerui, à quibus & ligamenta, & tandem vertebræ. *aſthmata*, oppletis reſpirationis inſtrumentis ab his quæ deſuper fiunt, fluxionibus, *calculi*, ob eorum edacitatem, humores enim multos

& crudos coaceruant, quorum craſsior pars vnà cum vrina in veſicam deſcendens, lapidis materia fit, eoque magis quo caliditas accedit, quæ ſatis vehemēs eſt, *lumbrici rotundi*, & longi, *aſcarides*, tenues quidam lumbrici, qui in parte maximè inferiore craſsi inteſtini viſuntur, omnes à putredine ortum habentes, *verrucæ pēſiles, quas Græci Acrochordonas vocant*, hæc verò mali humoris multitudine generantur, quæ potentia robuſta exiſtente, ad ſuperficiem reiicitur, *Satyriaſmi*, prominentéſque iuxta aures glandularum tumores, *ſtrumæ* in collo, alis, & inguinibus fieri ſolitæ, ob pituitoſam materiam, quæ generatur hac in ætate ob ingluuiem, *& alia tubercula*, tumoréſque alij præter naturam in hac ætate degentibus accidunt, *ſed præcipuè antè dicta*, verrucæ nimirum penſiles, ſatyriaſmi, & ſtrumæ.

APH. 27. ARGVM.

Quibus morbis corripiantur ad pubertatem accedentes.

Gran-

GRandioribus autem & iam accedentibus ad pubertatem, annum nimirum agentibus 12.13. aut.14. plurima. Ex his ætatibus præpositis, accidunt, qualia sunt lumbrici & lapides, & febres diuturnæ magis, quàm prioribus, nunc enim materia multo maior existit, & vires paulò quàm antea robustiores, & ex naribus profluuia sanguinis accidunt in tali ætate constitutis, nam hic humor in ea incipit superabundare, quòd minus de eo absumatur quàm in præcedenti ætate.

APH. 28. ARGVM.

Qua ratione puerorum morbi iudicentur.

PLurimæ autem paßiones, nimirum diuturnæ, puerulis nempe his qui in tribus prædictis ętatibus cõstituti sunt, iudicantur & terminantur, nõnullæ quidem in quadraginta dieb⁹. quadragesimus nanque dies diuturnorum primus est decretorius dies, & finis acutorum ex mutatione seu degeneratione. nonnullæ in septem mensibus, vt quartana febris, crebri anhelitus. nonnullæ verò in annis septem, vt est

morbus comitialis: *quædã verò iam ad pu bem accedentibus* iudicãtur, vt morbus prædictus comitialis, qui in multis pubertatis tempore iudicatur, & in mulieribus cum menstrua erumpunt. *quæ verò permanserint*, durauerintque, & *en in pubertate*, aut prope pubertatem, *fuerint puerulis, aut fœminis cum menstrua erumpunt*, quo tempore humoribns malignis repurgatis mulíebres morbi finiuntur, *consenescere consueuerunt*, & longo tempore perdurare. quod enim natura facere nõ potuit, neque ars faciet, etsi præsidiis vtatur.

APH. 29. ARG.

Iuuenum morbi recensentur.

1 *Vuenib⁹ autẽ sanguinis spuitiones* accidunt, ob inordinatam victus rationem, aut propter vasorum fractionem, aut erosionem flauæ bilis redund ãtibus in ipsis, *tabes*, propter sanguinis spuitionem, *febres acutæ*, ob putrefactionem bilis in ipsis redundantis, *morbus comitialis*, ex praua victus ratione & per consensum à flaua bile os ventriculi infestante, atque adeò propter iuuenum temperaturam, quæ planè biliosa est. *Et*

alij

alij morbi accidunt præter iam dictos, vt sunt quicunque à flaua bile nascuntur, vt phrenitis, ardens febris, cholera, & intestinorum difficultas, *sed præcipuè antedicti* morbi accidunt in hac ætate.

APH. 30. ARGVM.

Morbi mediæ ætatis & constantis exprimuntur.

VLtra hanc ætatem iuuenilem, *asthma* superuenit his qui inter iuuẽtutem & senectutem constituti sunt, idque non ætatis ratione, sed quia in victus ratione perinde atq; iuuenes peccant, *morbi laterales, pulmonis inflãmationes*, ob prędictas causas. *Lethargi*, ob pituitã in cerebro coaceruatam, cuius beneficio non dormiunt solùm, sed omnium etiam obliuiscuntur. *Phrenitides*, ob bilem flauam in præcedenti ętate generatam, necdum planè extinctam & expulsam. *ardores* siue ardentes febres, *choleræ* quoque ob causam supradictam. *Diuturna profluuia, difficultates, & leuitates intestinorũ* ob causas superius adductas. *hemorhoides* quoq; accidunt, materia deorsum delata per venas à natura destinatas.

APH. 31. ARG.

Morbi in vltima ætate quæ ſenectus dicitur, accidentes exprimuntur.

Enibus ſpirãdi difficultates accidũt, propter humoris pituitoſi in thoracem & pulmonis bronchia delationem, *deſtillationes cum tuſſe*, tuſſimque afferentes ob cauſſã ſupradictã: *vrinæ ſtillicidia*, ob expultricis aut retentricis veſicæ facultatis imbecillitatem, quæ frigidam eiuſdem intemperaturam cõſequitur, vt ſuprà dictum eſt. *vrinæ difficultates*, ob pituitæ copiam meatum veſicæ obſtruentis: *articulorum dolores*, aut ex ſuperfluitatibus ad hæc loca fluentibus, vel ob difficilem motum, cuius beneficio partes neruoſæ ſæpius frigidę fiũt, *renum paßiones*, ob humorem viſcoſum & glutinoſum obſtructiones parientem: *vertigines*, propter vaporoſum ſpiritum, qui in partibus cerebri inordinato cietur motu: *Apoplexiæ*, his enim ſenes corripiuntur. vltima pręſertim hyemis parte, quæ ad veris naturam nonnihil accedit. quòd tum à calore, qui incipit creſcere, pituita in cerebro diffũdatur, adeò vt quæ hactenus exiguũ

locum

locum occupauit,nũc propter fuſionem, omnes cerebri vẽtriculos oppleat ac obſtruat: *mali habit⁹*, propter alimẽtũ quod ab alteratricis facultatis imbecillitatẽ nõ cõcoquitur,ſed corrumpitur,crudumq́ue in totum diſtribuitur corpus. *Pruritus totius corporis* ob ſalſæ pituitæ ad corporis ſuperficiem delatæ redũdantiam,pluréſq; ſuperfluitates pruritũ excitãtes, quæ difficilem habent per cutem euacuationẽ, *vigiliæ*, tũ quia ſenectus plena curarũ eſt, tum quia ſiccum corpus habent, tantóq; magis vigilant quanto magis ſani ſunt. *Alui, oculorum, & narium humiditates*, ob cerebri ſuperfluitates, quæ cum deſcendunt, & ad aluum perueniunt, excrementa mollia reddunt, oculos & nares humectant, *viſus obtuſus*, propter ſenſitiuæ potentiæ obtuſionem. *glaucedines*, ob immodicam inſtrumẽtorum ſiccitatem, & quia ſpeciem quandam ſuffuſionis habent, *auditus graues*. ob potentiæ ſenſitiuæ imbecillitatem.

Aphoriſmo-
RVM LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

Quartus hic liber varius eſt, ferè tamen ad vacuationem & prognoſti- ca reducitur.

APH. I. ARG.

Quibus in morbis, quóue tempore vtero gerentes ſint purgatiuis medi- camentis euacuandæ.

A *Tero gerẽtes* mulieres ſũt *me- dicandæ* medicamẽto aliquo verè purgãte, vt per vomitũ, vẽ tris deiectionẽ, *ſi materia tur- gẽt*, & ab vna parte in aliã mo uetur, ne in hoc motu planè inordinato in principem aliquam partem aut vterum ipſum decumbat, fœtuíq; noxam inferat. *quarto menſe*, quadrimeſtres nimirũ quę- que quartum imprægnationis mẽſem at- tigerunt, *& vſque ad ſeptimum*, vt quin-

to,

to,ſexto menſibus, quo tẽpore ligamenta,quibus vtero fœtus connectitur robuſtiora ſunt, nec adeò facilè medicamenti purgãtis commotiõe rumpũtur, *ſed has* mulieres grauidas quæ ad ſeptimum vſque mẽſem peruenerunt, aut ſexti finem attigerunt, *minus* purgare cõuenit,quàm illas quæ quartum,quintum,ſextum menſes attigerũt: ſeptimus enim menſis partui & proximus & deſtinatus eſt.*iuniora autem* iunioréſque grauidas,quæ nimirũ quartum menſem nondum attigerunt,cauere oportet,quòd primis tribus menſibus retinacula & ligamẽta fœtus parum robuſta ſint,& fœtus ipſe in vtero nondũ ſatis firmatus, *& ſeniora* ſeniorêſque grauidas:quæ vltra ſextum menſem,aut ſexti initia progreſſæ ſunt, *vereri oportet* atque cauere, vltimis enim menſibus qui partui ſunt proximi,aut partui deſtinati, fœt⁹ grauior ac põderoſior exiſtit,quàm vt citra ligamentorum ruptionẽ tutò grauidis exhibeamus purgationem.

APH. 2. ARG.

Qualis humor per purgantia medicamenta vacuandus.

I N *medicationibus* & vsu medicamentorum purgantium *talia educere* oportet è *corpore*, medicamēto exhibito, *qualia & sponte* citraque medici operam, *prodeuntia vtilia* essent, vtiliterque vacuarētur ab ipsa natura. *quæ vero contrario modo prodeunt* in medicamentorum purgantium vsu, vt vbi talia per purgantia medicamenta vacuantur, qualia natura ipsa non vtiliter educeret, *cohibere oportet* & sistere si prodeunt, si nō prodeunt, haud prouocare sed sinere.

APH. 3. ARG.

Spontinæ & artificio factæ euacuationis signum datur.

S I *qualia oportet purgari, purgē.ur, confert, & leniter ferunt, contraria vero grauiter*. Hic Aphorism⁹ semel atque iterū repetitus primo Aphorismorum libro, hic rursum ob eius perfectiorem intellectionem exprimitur.

APH. 4. ARG.

Purgandum æstate per superiora, hyeme per inferiora.

M *Edicari æstate* temperaturam suam obseruante *superiores auitates* & ventres ipsumque ventriculum *magis* o-

oportet, vbi vniuersũ purgare quis voluerit *hyeme vero* temperaturam suam similiter retinente, *inferiores* cauitates, vt intestina, purgare oportet in hac pituita, quæ ob sui grauitatẽ facilè deorsum deturbatu , in illa bilis, quæ ob sui tenuitatem & lenitatem sursum fertur, abundat.

APH. 5. ARG.

Obseruanda diligenter medico anni tempora, quæ ortu & occasu sydérũ distinguuntur, Caniculæ exemplo.

Vb Cane quin eo ipso iã orto. 6. Cal. August. *& an e canem* minore, nimirum cane exoriẽte 17. Cal. Augu. *difficiles sunt medicationes*, earumque vsus molestus, quòd tũ æstus sit maximus, & facultas ipsa corporis imbecilla, quæ promptè admodum à purgante medicamento, natura calido, dissoluitur. adde medicamenti purgãtis & aeris ambientis actiones sibi inuicẽ pugnare, quippe iis ab internis ad exteriora, hoc ab externis ad interiora trahit, periculũ ob id ne ambobus inter se repugnantibus natura distrahatur & prorsus dissipetur.

APH. 6. ARG.

Qua ratione graciles & macilenti

ad vomendum faciles, ſint repurgandi.

GRaciles natura, non vi morbi, calidi ſicci atque adeo bilioſi *& facilè vomētes purgare ſuperius*, & per vomitum conuenit, graciles enim natura bilioſos ad ſuperiores purgationes magis aptos eſſe conſtat. *cauentes hycmē* in ea namque per inferiora potius purgandum erit.

APH. 7. ARG.

Difficiles ad vomendum & mediocriter carnoſi per inferiora repurgandi.

VOmentes verò difficulter, *& mediocriter bene carnoſos*, non valde craſſos & pingues, *per inferiora* purgare conuenit, hi enim cum pituitoſi ſint, ad inferiores purgationes eſſe magis idoneos certum eſt. *cauentes æſtatem*, quòd hoc tempus per ſuperiora purgationem magis requirat.

APH. 8. ARG.

Tabidi per ſuperiora non purgandi.

Tabidos verò cauentes eósque maximè qui ob pulmonis exulcerationem, maciem corporis & phtiſſim contrahunt, aut ad eam proni ſunt, nunquã duces *ad ſuperiores purgationes*, quòd pulmonis vlcera propter commotionem illam quam vomitus excitat, mirifice augeantur & irritentur, quódque inſtrumẽta reſpirationi inſeruientia in tabidis ſint imbecilla.

APH. 9. ARGVM.

Qua ratione melancholici repurgandi.

Melancholicos natura, aut ex longa conſuetudine tales factos, *plenius* & vehementius purgare cõuenit per *inferiores* partes: melancholicus enim humor ſuapte natura piger, terreus, & craſſus cum ſit, vehementiora cæteris humoribus requirit purgatoria medicamẽta, *eadẽ ratione cõtraria apponentes*, materia enim leuis ſurſumque vergens per ſuperiores, grauis verò & deorſum vergens, per inferiores partes educi debet.

APH. 10. ARGVM.

In peracutis, vbi turget materia, ea-

dem die purgandum.

M *Edicari*, vehementi medicamento vti, *in valde acutis*, & per acutis morbis, qui in quarto, aut ſeptimo iudicantur die, *ſi materia turget*, & huc atque illuc cõcitatur & mouetur errans, *eadem die*, & ſtatim in principio non expectantes ſecunndũ aut tertium. *Tardare enim in talibus malum eſt*, ne robur corporis diſſoluatur, aut febris augeatur caliditas, aut qui per corpus agitantur humores ad aliquod principale membrum decumbant, & repentinam mortem inducant.

APH. II. ARGVM.

Certis ſignis edocetur quando futura ſit tympanites.

Q *Vibus tormina*, & inteſtinorum dolores, *& circa vmbilicum labores*, cruciatúſque, *& lumborum dolor*, accidit ob flatuũ copiam prædictas partes diſtendentium, atque adeò vnitatem ſoluentium, *qui neque à medicamento*, frigidos humores ac flatulentos ſpiritus educente, *Neque aliter ſoluitur*, vt per clyſteres, fomenta, inunctiones diſcutientes,

in

in aquam inter cutem ſiccam, quã tympanitem vocant, *firmatur*. cum enim non ſoluitur. dolor ſignũ eſt in illis partibus eſſe int ẽperiẽ, à fletibus potiſsimũ genitã, quę nullis præſidiis poteſt remoueri.

APH. 12. ARGVM.

Qui diſenteria laborant, hyeme non ſunt purgandi.

Q *Vorum alui leuitate inteſtinorũ laborãt*, & inteſtantur, ſiue à pituita arida, ſiue ab humore acri tenuiq;, & bilioſo leuitas ea fiat ĩteſtinorũ *hyberno tẽpore ſupra*, perq; vomitũ *purgari* purgatiõe vniuerſali, *malũ*, tũ enĩ humores ĩ vniuerſo abũdãtes corpore ſunt pituitoſi, ideóque ad ĩferiora magis repũt, q̃ ſuperiora.

APH. 13. ARGVM.

Difficulter vomentes non vacuandi perveratrũ, niſi eorum corpora prius cibo pleniore, & quiete pręparẽtur.

D *elleboros*, elleboriq; ſumptionẽ, A *qui non facilè ſupra* & per vomitum, *purgantur*, vt hi ſunt quibus thorax eſt anguſtus, & depreſſus, *eorum corpora ante potionem* ellebori, *pluri cibo*, non in quantitate quidẽ, ſed qualitate,

atque quiete, corporis humiditatem seruante, *humectanda sunt*, nisi enĩ cibo vberiore, & quiete præhumectantur nerui, ligaměta aliæq; partes corporis, ficciores conuulsionem veratrum excitabit, partibus eiusmodi inanitis & exiccatis.

APH. 14. ARGVM.

Quid ab ellebori sumptione agendum.

C*Vm biberit quis elleborũ*, aut quoduis aliud medicamentum vehemẽter purgans, *ad motiones*, tẽperatus *quidem corporum ducere magis* oportet, per quas humores agitantur, attrahuntur, funduntur, medicamenti actio iuuatur, ac facultas expultrix suscitatur, *ad somnos verò atque quietem minus* ducere oportet, quòd hac ratione actio medicamenti frãgatur, & impediatur. Per somnũ enim atque quietẽ naturales facultates magis agunt, ac purgans medicamentũ plerumque concoquunt, *indicat autem nauigatio*, quæ motus quidem est, *turbari motione corpus*, adeò vt vomitum excitet.

APH. 15. ARG.

Idem quod antea, & simul qua ratione

ne immodicam purgationẽ ſiſtere oporteat, docet.

CVm *volueris magis ducere*, efficaciúſque vacuare, *elleborum*, aut aliud quoduis medicamentum purgans, *moue corpus*, vt humores agitentur, ac facultas expultrix quaſi ſuſcitetur, *cum verò ſiſtere*, & ſedare immodicam purgationem volueris, *ſomnũ facito*, & *non moueto*, ſomnus ſiquidem animalium & vitalium facultatum quietem adfert, eaſdem roborat, quæ ſubinde robuſtiores actæ, aſſumptum medicamentum, attractóſque ab iis humores concoquunt.

APH. 16. ARGVM.

Veratrũ iis periculoſum qui corpore ſunt commoderato & ſano.

CArnes *ſanas habentibus*, & integra ſanitate præditis, *elleborus periculoſus*, ac difficilis, *facit enim conuulſionem* ex inanitione, nam nihil excrementorum in corpore inueniens, partes ſolidas ſanas, neruos potiſsimum depaſcitur, humiditates abſumit & exiccat.

APH. 17. ARGVM.

Quibus notis naturæ ad ſuperiora motio dignoſcatur.

S *I quis febrem non habens abſtineat à cibo*, ob appetentiã deiectam, *&* *cordis morſum* patitur; atq; adeò oris ventriculi dolorem à flaua bile ventriculi os infeſtante, *ſeu vertiginem patitur*, factam per conſenſum, ſurſum delatis humoribus à ventriculo, *& oris amaritudine ſentit*, præ ſe ferente bilis in toto corpore redundantiam, *purgatione indigere per ſuperiora ſignificat* eos quibus hæc ſymptomata eueniunt à flaua bile in ventriculo ſupernatãte, & ſuapte natura ſuperiora petente.

APH. 18. ARGVM.

Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum, per ſuperiora, infrà verò per inferiora purgatione egere.

S *Vpra præcordia*, & ſeptum tranſuerſum *dolores*, purgatione indigẽtes, *purgatione indigere per ſuperiora ſignificant. quicunque verò inferiora moleſtãt*, & infrà ſeptum tranſuerſum ſunt, *per inferiora* indigere purgatione ſignificant,

nam

nam quò natura maximè repit, eò ducere per circunferentia loca noxios humores oportet.

APH. 19. ARGVM.

Ipſam ſitim ſignum eſſe peractæ purgationis.

Vi in medicamentorum. purgantiũ, Q *potione, purgati*, & quum purgantur, *non ſitiunt*, neque os ventriculi exiccari ſentiunt vacuatis excrementis *non quieſcunt*, exercere aut vacuari, *prius quã ſitiant*, nondũ enim medicamẽtũ vniuerſam actionem ſuam tum exercuit: ſed reliqui ſunt adhuc aliqui humores, quos vacuare oportet donec ex vacuatione ſiccitas oriatur, quæ ſitim indigentiã humiditatis nuntiantem excitare poteſt.

APH. 20. ARGVM.

Notæ infrà purgandum denotantes.

N*On febricitantibus ſi tormina acciderint*, & cruciatus iuxta vmbilicũ torquẽtes inteſtina, qui vt plurimũ à materia craſſa, pituitoſa, & flatulenta generantur. *& genuũ grauitas*, ab humo-

rum noxiorum decubitu facta. *& lumbo rum dolor*, dorsi partem circa renes infestans, *purgari inferius oportere significatur.* hæc enim symptomata omnia , humoris noxij motum,ratione cuius euacuationes moliri oportet,ad īferiora fieri denotāt.

APH. 21. ARGVM.

Egestiones nigras sponte prouenientes semper esse pessimas.

D *Eiectiões nigræ qualis est sāguis niger*, nempe qui diu extra vasa moratus est,& per intestina defertur, *Sponte venientes*, per vniuersum corpus , sine medicamento,quod purgandi potestatē habeat,*siue cū febre*,*siue sine febre*, *peßimæ*, quòd semper à causa mala,vel frigida,vel calida proficiscantur: calor enim in iecore sanguinem adurit, frigus calorem natiuum extinguit, quo fit vt sanguis subinde) nigrescat. *Et quanto calores* deiectionum *magis praui fuerint plures*,*peius*. quippe multorum prauorum in corpore affectuū sunt signa. *cum medicamento verò melius* est, si tales egeruntur humores, *Et quanto colores plures* fuerint excrementorum

mentorum à medicamento euacua torũ, *non prauum*, quòd naturam ipſam humores vitioſos debellaſſe ac ſuperaſſe ſignificant.

APH. 22. ARGVM.

Atrę bilis excretionem, in morborum quorumlibet initiis ſemper malam eſſe.

M*Orbis quibuſlibet incipientibus*, & à qualibet materia factis, idque *in* prĩcipio vniuerſali, in quo nulta adhuc apparet coctio, *ſi atra bilis*, ex melãcholico humore putrefacto, aut flaua bile immodicè exuſta progenita, *vel ſuprà*, vt per vomitum, nares, ſputum, *vel infrà exierit*, vt per ſeceſſum, & vrinã, *Læ tale*, ſignificat enĩ naturã malè affectã eſſe vtpote quam conſtat nunquam euacuare ſuperflua, niſi cõcreta fuerint: ſi ergo ſurſum feratur, radit & exulcerat ventriculũ ac gulam, & in conſenſu cerebrum aliáſque corporis partes rapit, ſi deorſum impetum fecerit, abradit inteſtina, & exedit, diſenteriáſque lętales efficit.

AiH. 23. ARGVM.

Mor b proximos quibus poſt mor-

bos acutos, aut diuturnos atra bilis & melancholicus humor excernitur.

Quibuscunque hominib⁹ ex *morbis acutis aut diuturnis, vel ex vulneribus*, quæ adeò ingentē sanguinis copiam eduxerint, vt vires debiles effectæ sint, *sine quouis alio modo extenuatis*, & debilitatis, *nigra bilis*, vtpote non naturalis, *siue vti sanguis niger*, hoc est naturalis atra bilis, *exierit*, vel per superiora, vel per inferiora, *postridie moriuntur*, propter nimirum morbi magnitudinem, & imbecillam facultatem.

APH. 24. ARGVM.

Disenteriam ab atra bile factam, lætalem.

D*ifficultas intestinorum*, & exulceratio, in qua paulatim & breuibus interuallis deiectio fieri solet, *si ab atra bile*, ex bilis adustione facta, *incæperit, lætalis est*, quòd à cancro vlcerato nihil differat. accedit quòd medicamenta ipsa intestinis, vt externis partibus, imponi non queant, neque illis tantisper do

nec

nec facultatem suam exerant adhærere, adde intestina ipsa malè affecta, ab alimenti excrementis semper irritari.

APH. 25. ARGVM.

Quibus sanguis per os emittitur malum, quibus per inferiora bonum.

SAnguis quidem suprà, vtpote per os emissus, *qualiscunque fuerit,* siue spumosus, siue rubicundus, siue flauus, siue niger, *malus* est, malúmque aliquod portendit, quippe aut apertionē, aut exesionē, aut rupturā alicuius vasis in superioribus partibus consistentis, significat, idque in viris maximè. *Infrà autem* sanguis emissus, nimirum per hæmorrhoides, *bonus est*, quippe per hæmorrhoidum profluuium melancholicus humor, quem hominis natura coaceruauit vacuatur.

APH. 26. ARGVM.

Carunculas in disenteria excretas læthale esse signum.

A *Difficultate intestinorum*, cuiuscunque generis illa sit, *habito*, & detēto, *si veluti carunculæ*, & ramenta intestinorum adeò magna, vt carnis effi-

giem præ ſe ferant, *exeant*, & excernãtur, *lætale eſt*, tanta enim tum viſitur exulceratio, vt neque caro caleſcere, neque cicatrix obduci poſsit.

APH. 27. ARGVM.

Interdum aluos humectari, poſt ſanguinis copioſi per febres alióſque morbos eruptionem.

Quibus in febribus, aliiſque morbis, *ſanguis flux erit*, & larga copia cum impetu, *quacun que ex parte*, ſiue id è naribus, ſiue per vterum, ſiue hermorrhoidas fiat, *cum reficiuntur* iam è morbo cõualeſcentes, *alui his humectantur*, propter alimenta, quæ minus bene cocta in ventre morãtur, neq; in corpus diſtribuũtur.

APH. 28. ARGVM.

Surditatem fieri ob retentas biliosas deiectiones, & viciſsim ſolui, vbi illæ ſuperuenerint,

Q*Vibus bilioſæ deiectiones* facile mobiles ſunt. *ſuperueniente ſurditate*, non ſtabili ex recurſu bilis ad cerebrum factę, *ceſſant*, & deſinunt. *& quibus ſurditas* præcedit, *ſuperuenientibus*

tibus biliosis deiectionibus, materia è supernis ad inferiora translata, *cessat* surditas vti aliàs, profluuio sanguinis è naribus difficultate intestinorum, coxendicũ, vel genuum dolore.

APH. 29. ARGVM.

Rigorem sexto die in febribus ortum damnat.

Q*Vibus in febribus*, & in iis quidẽ cõtinuis, *sexto die*, qui iudicatorius non est, *rigores fiunt*, & totius corporis inæqualis cõcussio, & quassatio, *difficile iudicium sequitur*, & malè iudicatur de ægrotis. nam vel moriuntur, vel ægritudo longa efficitur, vel recidunt, aut simile aliquid patiuntur.

APHOR. 30. ARGVM.

Quæ febres futuræ sint longæ, aut breues, ex quo accessio ipsa inuadit.

Q*Vibuscunque accessiones fiunt*, febrium interpollentium, *quacunque hora* obseruata, *febris dimiserit*, *si eadem cras*, & postero die, *occupauerit*, *iudicium habent difficile*, ob causam quæ accessionem facit fixam, firmatam, & sta-

bilitam: nam quæ firmata sunt ægrè soluuntur, & validiore commotione iis opus est.

APH. 31. ARG.

Quibus in febribus abscessus fieri soleant.

L*Asitudinem habentibus in febribus*, siue ea ab externo aliquo atq; adeò manifesto motu, quē quis sustinuit febris initio, siue sponte & citra laborem acciderit, *in articulis*, & totius corporis iuncturis, abscessus fiunt, in spōtanea quidem lasitudine, latiora articulorum spacia promptè in se vitiosorum humorū redundantiam suscipiunt, in non spontaneo motu excalefacti corporis excremēta attrahunt, *& circa maxillas potissimum abscessus fiunt*, in his febribus, propter nimium calorem febrilē, quæ multitudinē humorū secū sursum defert, deinde propter materiā, quæ magna ex parte tenuis est adeò, vt & vi caloris suaquo sponte prōpte superiora petat adde quòd buccæ & malæ sint admodū imbecilles, nequeántque ad alias corporis partes excrementa ipsa propellere.

APH.

APH. 32. ARGVM.

Quid futurũ ſit è morbo cõualeſcentibus, vbi aliqua parte laborauerint.

Vbiſcunq; reſurgentibus ex morbis,& potiſsimũ febribus,*ſi quid*, nempe aliqua corporis pars, *laborauerit*, & dolorẽ ſenſerit *hic*, in hac inquã parte,in qua labor eſt & dolor, *fiunt abſceſſus*,dolor enim deſtillatiões excitat.

APH. 33. ARGVM.

Dolorem & laſsitudinem morbũ antecedentia, in cauſa eſſe cur in partẽ aliquam ſuperuacua decumbant.

Ed & ſi ante morbũ,& antequã aliquis febre, aut alio morbo affligi cœperit, *aliqua pars doluerit*, aut labore laſſata fuerit,*hic morbus firmatur*, eãque in partẽ morbus decũbit, & futurus eſt abſceſſus in ea,per quẽ morbus ipſe iudicabitur, niſi ꝑ aliquã excretionẽ, quę fit vel per vrinã aut ſanguinis è naribus profluuiũ, vacuati fuerint eiuſmodi humores craſsi facientes abſceſſum.

APH. 34. ARG.

Anginã ex gutturis inflammatione ortam,confeſtim ſtrangulare.

A *Febre habito*, & febricitanti homini febre intẽſa, aut remiſſa, *tumore non exiſtente*, neque apparente *in faucibus*, ore ipſo aperto, *ſi ſtrangulatio*, & ſuffocatio, *repente ſuperuenerit*, *lætale*, quòd obſtruantur ea quæ reſpirationi ſubſeruiunt inſtrumenta.

APH. 35. ARGVM.

Quid accidat iis qui alia anginę ſpecie corripiuntur.

S*I à febre habito*, vehementi, *collũ peruertitur*, repente, *& vix poteſt deuorare*, & deglutire, *ſine vllo tumore* exiſtente in faucibus, *lætale eſt* ſignum, quæ inflammationẽ aliquã in gulæ præiacentibus muſculis, aut ipſa gula eſſe portẽdũt.

APH. 36. ARGVM.

In febribus, aliiſq; morbis acutis, qui ſudores iudicatorij, qui minus ſint exprimuntur.

S*Vdores febricitanti* febre acuta, vt ardente, & tertiana interpollente, *ſi incœperint*, & euenerint *tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & ſeptimodecimo, & vigeſimo, & vigeſimoſeptimo, & trigeſimoquarto,*

quarto, boni ſunt, *hi enim ſudores* in diebus enumeratis euenientes, *indicant morbos*, & bene finiũtur. *qui verò non ita fiunt*, ſed in aliis diebus intermediis, *laborem ſignificãt, & morbi lõgitudinẽ, & recidiuã.*

APH. 37. ARGVM.

Frigidum ſudorem in acuta febre ortum mortem portendere.

F*Rigdi ſudores*, tales nimirũ ad medici & aſsiſtentiũ tactũ, quíq; è corpore eiuſmodi emanant, *cum acuta quidem* & vehementi *febre* facti, *mortem* ſignificant, quippe tanta eſt frigidorũ humorum in corpore ipſo copia, vt neque à natiuo calore, neque febrili queant calefieri. *cum mitiore autem* febre frigidi ſudores facti: *longitudinem morbi ſignificant.* quòd humores craſsi & multi ſint, nec breui tempore cõcoqui, & diſcuti queãt.

APH. 38. ARGVM.

Ex ſudore cognoſci poſſe in qua corporis parte hæreat morbus.

Q*Va parte corporis ſudor eſt*, ſponte & à natura ipſa propellente factas, non à cauſa externa, *ibi ſignificat morbum*, qui iam actu infeſtat, aut pòſt paulò futurus eſt.

APH. 39. ARGVM.

Ex calore & frigore posse deprehendi, in qua parte corporis morbus sit.

ET *qua parte corporis calor* insignis, neq; à causa externa excitatus existit, *aut frigus*, consimiliter insigne. *ibi morbus* est, quippe necesse est, tum eā partem corporis quæ nimium calet, aut friget, naturalem suam temperiem amisisse.

APH. 40. ARGVM..

Quid crebræ caliditatis, aut frigiditatis in vniuerso corpore mutationes portendant.

ET *vbi in toto corpore mutationes* fiūt, *& si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat*, variis vicibus, & perseueranter, *aut calor alter ex altero fiat, longitudinem morbi significat*, modo vires robustæ sint: nā hæ qualitatū atq; colorū mutationes, humores (quos maximè colores ostē dunt) efficientes morbū, esse varios & diuersos præ se ferunt, ad quos coquendos natura longo indiget tempore.

APH. 41. ARGVM.

Quid liceat medico prædicere ex sudore copioso à somno facto.

Sudor

SVdor multus, non exiguus, *à somno factus*, cùm scil. sanguis & spiritus ad exteriora corporis reuertuntur. *absq; causa manifesta*, vt stragulis, & id genus aliis sudorẽ prolicientibus. *corpus vti largiori cibo significat*, è cibi enim copia multa excrementa, quæ cum calore & spiritu ad exteriora feruntur, generari necesse est. *si verò cibum non accipienti, hoc accidat*, vt sine manifesta causa post somnum sudet, *scire oportet, quòd euacuatione indiget*, quæ fit p venæ sectionẽ, vel medicamentũ purgans pro ratione redundantiæ excrementorum, quæ sudoris causa sunt.

APH. 42. ARGVM.

Quid quantitas & qualitas eius sudoris, qui per vniuersum morbi tempus accidit, portendat.

SVdor multus, exiguus enim nihil mali portendit, *calidus, vel frigidus, semper*, & vniuersum morbi tempus, *fluẽs frigidus magis*, & longiorem morbũ significat. sudor enim frigidus crassitiem materiæ, quæ non facilè discuti aut à calore vinci queat præ se fert, ideoque lon-

gitudinem etiam morbi, *calidus minus significat morbum*, materiam enim tenuē & quā prōpte coucoquere, ac discutere natura possit, calidus sudor portēdit, ideóque breuiorem etiam morbum.

APHOR. 43. ARGVM.

Continuas febres, quæ per tertium diem validiores fiunt, periculosas, intermittentes periculo vacantes.

F*Ebres quæcunque non intermittentes*, continuæ nimirū, quæ ad integritatē & infebricitationē nō desinūt, *tertia die fortiores fiunt*, vt semitertianæ, quę nimirū cōtinuæ sunt, acutę, & tertio die grauius affligētes, *magis periculosæ*. quàm quæ intermittunt. nam naturā quiescere non permittūt, nec solū stomachum, & neruosam eius partem attingunt, sed etiā lethargicas animi delationes, attonitásque vigilias inuehunt, interim ad syncopen vsque corpus discutiunt, linguam valde siccant, animi defectionem efficiunt, vehementer ea quæ in alto sunt commouentes, *quocunque autem modo*, & quantocunque tempore, vel per maius spaciū, vel per minus *intermiserint*, *periculum abesse*

esse significatur, eo enim tempore, quo vacant febre, virtus se recolligere potest.

APH. 44. ARGVM.

Diuturnas febres, vt plurimũ per tubercula, & dolores in articulos decumbentes finiri.

Vibus febres longæ, à multa materia, crassa, glutinosa, & frigida, *his tubercula*, & tumores ex quacunque corporis parte erumpentes, *vel labores*, & aposcemmata, siue decubitus noxiorum humorum, ad quos dolor sequitur, *in articulos fiunt*: nam materia illa crassa & frigida, cum periculis meatus exire non posset, facilè ad articulos decumbit.

APH. 45. ARGVM.

A febribus conualescentes largiore cibo vti, si quando tubercula, & articulorum labores incidunt.

Vibus à febribus conualescentibus, *tubercula vel in articulis labores*, & dolores *fiunt*, post lon-

gas & diuturnas febres, *hi pluribus vtuntur cibis*: nam cùm ſupra mediocritatum aut virium proportionem cibos ingerũt, fieri non poteſt, vt rectè concoquant, igitur multa excrementa coaſſeruent neceſſe eſt: quæ ſi ad cutem protruduntur, tubercula, ſin ad articulos dolores excitant.

APH. 46. ARGVM.

Rigor pernitioſus in febribus quando fiat.

I rigor, & inęqualis vniuerſi corporis concuſſio, *incidat*, natura ipſa inſurgente contra res noxias, vt eaſdem expellat, *febre non deficiente*, nec deſinente, *ægro iam debili*, in hoc vltimo naturæ conatu, *letale eſt* ſignũ, naturæ indicans ſummam imbecillitatẽ, quę ſolita in rigoribus noxios humores euacuare, nunc id efficere non poſsit, quòd victa ceciderit, & extincta ſit.

APH. 47. ARGVM.

Quid ex prauis excreationib⁹ & exputionibus prædicendum.

E*Xcreationes*, & quæ per fauces & aſperam arteriam fiunt, purgationes, *in febribus non intermittentibus*, & con-

& continuis, in quibus plusquàm in cæteris morbis mali portendunt, *liuidæ*, & quæ colorem cineritium cum quadã nigredine referunt, malæ sunt, quòd partiũ vnde excernuntur mortificationem significent, *cruentæ* quoq; malę sunt, quòd vasorum apertionem portendant, aut propter vasis imbecillitatem, aut erosionem à biliosis humoribus factã. *Fœtidæ* ac grauiter olentes excreationes malæ quoque sunt, quòd putrefactionem significent. *biliosæ omnes malæ*, quòd puram & immodicam bilem præ se ferant in ipsis febribus continuis. *Et si bene exeunt* excreationes, etiam per se prauæ *siue per alui excreationem* & deiectionem, *siue per vrinas, bonæ*. nam partem malè affectam expurgãt, quòd accidere solent in his omnibus vbi facta iam coctione exeunt, & æger facilè tolerat. *At si nihil eorum quæ iuuant* & conferunt *per hæc loca* os, ventrem inferiorem, & vesicam *excernitur: malum* est. nam cum non conferant si excernantur, præstaret ea retineri magis corpore quàm expelli.

APH. 48. ARGVM.

Lętale ſignũ, vbi in ardente febre, & lipyria , exteriora frigeſcunt, & interiora vruntur.

I*N febribus non intermittentibus*, vt ardente pernicioſa, & lipyria *ſi partes exteriores*, nares, aures, pedes, & ſummæ manus *frigidæ* fuerint, propter ſanguinis ſeſe ad viſcera recipientis, defectum, *interiores*, quæ intra thoracem & ventrem continentur, *vruntur, & ſitim habent* vehementiſſimam, *lætale eſt* ſignũ. ſignificat enim in viſceribus magnam ineſſe inflammationem vel eryſipelas, ſanguine, per modum cucurbitulæ, in eiuſmodi partibus inflammatione affectis, concluſo.

1

APH. 49. ARGVM.

Signa quædam lętalia, ab animali facultate deſumpta, in continuis febribus apparentia enumerantur.

I N *febre non intermittente*, in qua vires debiles ſunt, *ſi labrum* peruertatur & diſtorqueatur ob neruorum contractionem ad ſua principia factam, *vel oculus, vel naſus, vel ſupercilium*

1

peruertatur

peruertatur, & ex rectis flexuosa omnia illa fiant, *vel non videat, vel non audiat*, facultate animali motrice & sensifica, imbecilli facta, *iam debili existente corpore*, propter noxas quæ motrici, facultati accidunt, *quicquid horum* symptomatum *euenerit*, *mors proxima est*: & quantò plura eorum adsunt, tantò citius mors superuenit.

APH. 50. ARGVM.

Spirandi difficultatem, & delirium, in continua febre euenientia, signa esse lætalia.

V *Bi in febre non intermittente difficultas spirandi* magna & rara, atque adeò spiritus magnus, & ex longis interuallis, *& delirium acciderit, lætale* est signum, quòd nimirum & cerebrum, & instrumenta spiritus læsa esse significent, quibus symptomatibus febris accedit continua, quæ & ipsa per se sola satis est efficax, vt vires corporis prosternat.

APH. 51. ARGVM.

Abscessus à morbo non liberantes, in primis diebus iudicato-

riis longitudinem morbi significare.

IN *febribus* longioribus quę per abscessus iudicari solent, *abscessus qui ad primas iudicationes* & in primis diebus iudicatoriis *non soluunt*, nec à morbo liberant, quòd noxii humores morbum efficientes ad locum abscessus vniuersi non decubuerint, sed nõnulli intus relicti fuerint, *longitudinem morbi significant*. nam humorum noxiorum multitudinem præ se ferunt, quos vna iudicatione natura expellere non potuit.

APH. 52. ARG.

Quid oculi illachrimantes in morbis portendant.

Vicunque in febribus, vel aliis morbis, sponte & volũtariè *illachrymãt, nihil absurdum* & minime periculosum, quòd hoc ipsum accidat ptopter externã aliquam causam, vt amici interitũ, aut rerum, quæ nobis charę fuerunt amissionẽ. *qui verò non sponte* & sine volũtate, & minime de industria lachrymant, *absurdius* est id, & periculum, mortem nimirum significat, nam in ipso cerebro læsio significatur, & magna imbecillitas facultatis

retentricis, si reliqua etiam signa perniciosa accesserint. quippe vbi cætera se rectè habent, lachrymę illę sine voluntate erumpentes sanguinis è naribus profluuium potius quàm mortem portendunt.

APH. 53. ARG.

Quid lentores iuxta dentes nati, in febribus portendant.

Q *Vibus circa dentes in febribus quidam lētores* & humores glutinosi dentibus affixi ob immensum calorem qui hos exiccauit *nascuntur, his fortes* & vehementes *fiunt febres.*

APH. 54. ARG.

Nonnunquam in ardentibus febribus, ægros non admodnm sibi affici.

Q *Vibus* hominibus *plurimum* diuque & lõgiore tempore *siccæ tusses*, in quibus nihil exponitur *leuiter irritantes* & modicè, *in febribus ardentibus* & sitim vehementem afferentibus *fiunt*, atque adeò ducant, *non multum*, nec pro ratione & proportione febris *siti infestantur*, propter motum qui in eiusmodi tussi excitatur, atque semper aliquem ex vicinis locis humorẽ trahit, quo loca ad asperam arteriam sita madescunt.

APH. 55. ARGVM.

Omnes febres in tumoribus adenum ortas,præter diarias, malas eſſe.

E*X inguinum* omniumque adenum aut glandularum *tumoribus* & inflammationibus *febres omnes malæ.* nam viſcera ipſa,atque adeò partes principes malè eſſe affectas ſignificant,vtpote quæ iam ſuperuacua à ſe repellant in adęnas,vt qui promptè hęc eadem ſuſcipiant *præter diarias*,quarum proprium eſt & præcipuum , vt à cauſa aliqua externa incipiant,& vna die ſoluantur.

APH. 56. ARGVM.

Sudorem crebrò accidentem febricitanti,febre non quieſcente,duplici nomine malum, quòd febrē non ſoluat,ſed in longius tempus protrahat, deinde quòd multam ſignificet humiditatem quam natura breui tempore concoquere non poſsit.

F*Ebricitanti ſudor* creber & aſſiduus *ſuperueniens,febre non deſinente, malū* portendit ,quòd ſequentia oſtendūt. *prorogatur enim morbus* atq; adeo in longius tempus protrahitur, *& multam ſignificat*

gnificat humiditatem, quam conſtat aliud nihil eſſe quàm excrementa humida in ſingulis partibus naſci ſolita, quæ crebri huius ſudoris cauſa ſunt.

APH. 57. ARGVM.

Correptos conuulſione aut diſtẽtione liberari febre ſuccedente.

Q*Vi à conuulſione*, quæ vt plurimum à materia frigida & pituitoſa fit, *aut diſtentione neruorum*, in qua vniuerſum corpus recta extenditur & veluti riget, *tenetur* & corripitur, *febre ſuperuenie te*, *liberatur*, febris enim concoquit & diſſoluit materiam eiuſmodi affectus procreantem.

APH. 58. ARGVM.

Ardente febre correpros, liberari, ſi rigor ſuccedat.

A *Febre ardente* ob bilem in venis putrefactã proueniente *habito* & correpto, *ſuperueniente rigore*, & inæquali totius corporis cõquaſſatione poſt ſigna coctionis, & die iudicatorio cum virium robore *ſolutio* fit, & à morbo liberatur, quòd bilis quę interim in venis cõtinebatur, â natura per carnes ad cutem

iudicatorie excutiatur, & per ſudorem vacuetur, qua ratione rigor ſignum ſolutionis febris ardentis erit, non cauſa ſanans.

APH. 59. ARGVM.

Longiſſimus exquiſitæ tertianæ terminus deſcribitur.

Tertiana febris exquiſita, quę ex flaua, bile per ſenſiles corporis partes delata oriri ſolet, *ſeptenis circuitibus* ſex temporibus circumſcriptis, *quod longiſsimũ eſt*, *iudicatur*, & terminatur, quando nec humor ex quo conſiſtit craſſius eſt aut lentus tenáxue, vt in quotidianis & quartanis, imó nec admodum copioſus, proinde facilè & cito diſcutitur.

APH. 60. ARGVM.

Inſtabilem ſurditatem, vel profluuium ſanguinis è naribus, vel alui perturbationem ſolui.

Quibus in febribus aliiſque morbis ſine febre *aures obſurduerint*, quod vt plurimũ à bilioſa materia fit, *ſanguis è naribus fluens aut aluus turbata* quæ nimirum humorũ à capite ad ſe demiſſorum, defluxum patitur, *ſoluit morbum*:

bum & ſurditatem ipſam, nam humorem, & febrem, & ſurditatem efficientem contingit expelli.

APH. 61. ARGVM.

Bonas eas tantũm iudicationes quæ in diebus imparibus eueniunt.

Ebricitantem febre acuta *niſi diebus imparibus*, in quibus quòd accidat acceſſio, iudicatio fieri ſolet, *febris* ea acuta *reliquerit ſolet recidiuare* & reuerti. nam non naturæ lege, ſed vi ſymptomatis iudicium factum eſt.

APH. 62. ARGVM.

Excretiones quæ in diebus decretoriis non fiunt, malas eſſe, regii morbi exemplo.

Vibus in febribus acutis atque adeò continuis *morbus regius* ex iecoris inflammatione ortus, nõ duritia aut obſtructione, *ante diem ſeptimum accidit, malum*, nam viſceris phlegmonem præ ſe fert: præterea vilis ante ſeptimum diem iudicatoriè ad corpus efferri & effundi non poteſt.

APH. 63. ARGVM.

Cau∫am adfert cur febres intermittentes ad integritatem veniant.

Vibus in febribus intermittentibus *quotidie rigores fiunt*, atque adeò refrigerationes & horrores *quotidie febre ∫oluuntur*, veniuntque ad integritatem & ∫ine febre ∫unt. Nam ∫ingulis acce∫sionibus humores febres efficientes expurgantur & vacuantur, quicquid enim humoris efferbuit, in ip∫a acce∫sione totum expurgatur, & febres nece∫∫ariò ad integritatem veniunt.

APH. 64. ARGVM.

Quid morbus regius in febribus po∫t ∫eptimum diem ∫uperueniens portendat.

Vibus in febribus acutis *morbus regius ∫eptimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo* dieb⁹ omnibus iudicatoriis *∫uperuenerit, bonum*. nã naturam bilem ip∫am flauam vnde procreata fuit febris, ad cutẽ iudicatoriè repo∫uiſſe ∫ignificat. *ni∫i dextrum ilium*, hypochondrium nimirum, quæ pars e∫t ∫upra vmbilicum vtrinque ad latera ∫puriis

co∫tis

costis subiecta, *obduruerit*, aut aliquis malus affectus ex his quos paulò ante commemorauimus, hepati acciderit, nempe inflammatio, quæ febrem concomitatur, *si verò non* in diebus prædictis iudicatoriis accidat morbus regius, *malum*, quippe tũ nõ lege naturæ prodiit morbus regisu, sed morbi magis malitia.

APH. 65. ARGVM.

Quid in acutis febribus morsus, vehemensque ventriculi æstus, portendat.

IN *febribus* acutis & vehementibus, *circa ventriculum*, in se cibum assumptum recipientem, *& fortis æstus*, de quo videlicet æger mirificè conqueritur, ita vt hæc pars sibi quasi ardere videatur, præ nimio æstu: *Et cordis*, seu oris ventriculi, *morsus*, *malum*, quippe flauam bilem in ventriculi tunicis ebullientem præ se fert.

APH. 66. ARGVM.

Conuulsiones, & vehementes viscerum dolores, non leue malum in acutis febribus significare.

IN *acutis febribus*, cæteris calidioribus, & magis exiccantibus, *conuulſiones* ex ſiccitate potiſsimum, & inanitione ortæ, *& circa viſcera*, nempe cor, iecur, pulmonem, & lienem, *dolores fortes, malum* portendunt, dolorem enim ſentiunt propter viſcerum inflammationem, aut obſtructionem, aut abſceſſum.

APH. 67. ARGVM.

Pauores conuulſionéſque poſt ſomnum factas, malum portendere.

IN *febribus* vehementibus & acutis, atque adeò aliis morbis exitialibus, *ex ſomnis*, qui potiſsimum in febris declinatione fiunt, in qua prodeſſe deberent, *timores*, malum portendunt, quippe ingentem melancholicorum humorum copiam caput per ſomnum replentium & aggrauantium ſignificant, *vel cõuulſiones*, poſt ſomnum in morbis acutis prouenientes, *malum* portendunt, quòd pituitoſorum humorum multitudinẽ præ ſe ferant.

APH. 68. ARGVM.

Subſiſtentem ſpirationem in febribus malum portendere.

In

IN *febribus*, acutis & vehementibus, *ſpiritus offendens*, ſubſiſtens nimirum, & interrupta ſpiratio, *malum: conuulſionem enim ſignificat*, eamque ex ſiccitate ortam, quam quidem febris acuta muſculos & neruos thoracẽ mouentes plus iuſto exiccans, procreauit.

APH. 69. ARGVM.

Craſſam vrinam per initia morbi, aut non multò poſt apparentem, cõmodè ſubinde in tenuem eamq; multam commutari.

Vibus vrinæ, conſiſtentia ipſa, & aquoſitate, *craſſæ* ſunt, *grumoſæ*, multam craſſam ſubſidentiam, aut in grumos conformatam habentes. *paucæ, non ſine febre, multitudo veniens ex his tenuis*, tenues nimirũ & copioſę vrinæ ꝓuenietes poſt craſſas, grumoſas, & paucas *iuuat*, bonũq; portendũt hę vrinę, nã altetratricẽ facultatẽ robuſtiorem factam & humores illos craſſos ita attenuaſſe ſignificant, vt maior eorum pars ſit vacuata, *præcipuè autem tales* vrinæ *veniunt*, exeuntq; iis, *quibus ab initio* febris, *vel breui* & non multò poſt initia, *ſedimen ineſt*,

ratione grauitatis materiæ, non lege naturæ, neque enim coctionem significat hæc subsidētia, vtpote quæ in initio morbi fieri non posit.

APH. 70. ARGVM.

Quid vrinæ perturbatæ in febribus significent.

QVibus *vrinæ perturbatæ* sunt, & tales semper permanent durante febre, quod accidit cum materia crassa, dēsa, & flatuosa calore conficitur, concoquitur, aut agitatur, *quales sunt iumentorum*, equorum, boum, & eiusmodi animantium, quæ iugum ferunt, atq; homines in laboribus suis coadiuuant, horū enim vrinę emissę turbātur, permanētq; turbidæ, propterea quòd victu vtuntur tali, vnde crassi humores procreantur, *his dolor capitis vel adest, vel aderit*, Propter conturbationem & euaporationem humorū, promptè siquidem spiritus flatuosus vnà cum calore fertur ad caput.

APHO. 71. ARGVM.

Quartū diem septenorū esse indicē, nubeculæ rubræ exemplo.

Quibus

Q*Vibus ſeptimo* die *iudicatur* morbus ad ſalutem, *his nubeculam habet quarta die vrina rubeam*, quæ aliud nihil quàm humores noxios propemodũ coctos eſſe ſignificat, vt ea apparente in quarto, qui ſeptimi index eſt, neceſſe ſit in ſeptimo bonam iudicationem fieri. ſignificat & idem alba nubecula, atqui rubræ nubis tanquam ſigni perrari meminit Hyppo. *Et alia* ſigna quę iudicationẽ mõſtrãt, in diebus decretoriis fieri ſolita futurã vel in vrinis, vel alui deiectionibus, vel ſputis, *ex ratione*, & proportione in ipſo quarto die apparere debent, ſi iudicium firmum ſeptimo die futurum ſit.

APH. 72. ARGVM.

Aquoſam vrinam malam, ſi præſertim in phreneticis appareat.

Q*Vibus vrinæ albæ & perſpicuæ* ſunt, ſiue aquoſæ, & longo tempore eiuſmodi prodeũt à cauſa interna, non externa aliqua, *malæ*, nam extremã cruditatem ſignificant, & bilem flauam non in vaſis permanere, ſed ad cerebrum ob leuitatem rapi, *præſertim ſi in phreneticis appareant*, vitioſæ ſunt maximè, nã

cùm phrenitis oriatur à bilioſo, ſanguine par eſt vt vrina flaua ſit, quod cũ non accidat, ſignum eſt vniuerſam bilem ad caput rapi, quod pernitioſum eſt.

APH. 73. ARGVM.

Quid ex hypochondriis inflatis ac mumurantibus prædicetur.

Quibus *ilia*, & hypochondria, *ſuſpenſa*, inflata, & tumentia, *murmurant*, quòd in his ſpiritus ſeu flatus inſint, *lumborum dolore ſuperueniẽte*, quod fit vbi murmur ad lumborum loca delabitur, ſede hypochondriorum derelicta: *His alui humectantur*, nam hucum ſpiritu mediocris eſt commixta humiditas, quam ſpiritus in ſuapte natura mobilis ſecum ad aluum deducit, eumq́ue humectat, hoc autem certò euenire ſolet, *niſi flatus erumpant*, ſi enim ſoli flatus erumpant, humorem in corpus diſtributum eſſe ſignificant, ideo tum alui humectari non poſſunt. *aut vrinæ multitudo proueniat*, nam tum humor, quo debuit aluus humectari, in corpus diſtributus, per vrinam euacuatur, adeò vt vna

hîc

hîc vacuatio aliam impediat, *hæc verò in febribus* accidunt: febribus dico, quæ per ſe morbi ſunt, & nequaquam aliorum morborum ſymptomata.]

APH. 74. ARG.

Interdum contingere vt diuturnæ febres aliter quàm per abſceſſus & decubitus finiantur.

V.bus, diuturnis febribus laborantibus, quæ magna ex parte à craſsis & viſcoſis humoribus naſcuntur, *ſperatur abſceſſum futurum ad articulos*, per quem ſcilicet diuturnæ febres vt plurimum iudicãtur. *Liberat ab abſceſſu vrina multa craſſa & alba facta*, quæ craſſos illos humores, qni abſceſſuum cauſa futuri erant, expurgat, *qualis in laborioſis febribus*, in quibus laſsitudinis ſenſus aliquis exiſtit, in his enim potiſsimum abſceſſus fieri ſolent *quarto die, quibuſdam incipit fieri*, & exire, *ſi verò etiam* cum vrina prædicta, *ex naribus fluxerit ſanguis, breui admodum ſolutio fit*, & valde celeriter liberantur ab abſceſſu. In partes

enim diuisa materia suprà & infrà, velocissima fit morbi solutio.

APH. 75. ARGVM.

Quid sanguinis aut puris mictio portendant.

S*I sanguinem & pus*, quod ex abscessu rupto prouenit, *mingat* aliquis multis consequenter diebus ac mensibus, *renum*, vel vreterum, *aut vesicæ exulcerationem significat*. qua verò ratione diiudicare oporteat vtra trium commemoratarum partium magis afficiatur, dolor qui in illis partibus fit & exeuntia ostendunt.

APH. 76. ARGVM.

Quid exiguæ carunculæ, aut veluti capillamenta in vrinis præ se ferunt.

Q*Vibus in vrina crassa existente*, mediocri nimirum, & secundum naturam se habere, *carunculæ paruæ*, quas vtpote renum essentiæ partes, ob vehementem vlceris erosionem auulsas esse constat, *aut veluti capilli vnà exeunt*

eunt, cum craſſa vrina. *his à renibus excernitur* vlceratis, his quidem caruncu-læ paruæ & exiguæ non vlceratis, velut capillamenta exeunt.

APH. 77. ARGVM.

Quid in mediocri vrina & ſecũdum natuam ſe habente, furfurea ſignificet ſubſidentia.

Vibus in vrinat craſſa, quæ mediocris eſt ſubſtantię, vtpote nec tenuis, nec craſſa *furfurea quædam, &* furfuris, triti bene moliti ſimilia *ſimul exeunt*, & minguntur, *his veſica*, quæ difficulter curatur, *ſcabie laborat*, alioqui ſi furfurea cum tenui & cruda vrina prodeunt, non veſicæ ſcabiem, ſed potius conſumptionem totius corporis oſtendunt.

APH. 78. ARGVM.

Quid copioſa & repentina ſynceri ſanguinis mictio prę ſe ferat.

Vicunque repente, & copioſè, *ſanguinem* purum & ſyncerum, *mingunt*, *his à renibus venulam ruptam ſignificatur*. nam ob multitudinem ſanguinis renum venulæ intenduntur &

rumpuntur.

APH. 79. ARGVM.

Subſidentias arenoſas in vrinis, calculi eſſe notas.

Vibus in vrinis arenoſa ſubſiſtunt, Q & hypoſtaſes arenarum plenæ viſuntur, *his veſica,* aut renes, *laborat calculo,* veſica potiſsimum, quòd effatu dignam habeat cauitatem.

APH. 80. ARGVM.

Quid ſanguinis aut grumorum mictio, cum vrinæ ſuppreſsione, & dolore ad imum ventrem, pectinem, & interfœmineum portendant.

I ſanguinem mingant liquidum, *aut* S *grumos* ſanguineos, qui fiunt vbi ſanguis extra vaſa promanans à frigore concreſcit. *vel ſtillicidium vrinæ habeant,* propter grumos veſicæ meatum obſtruentes, quos adeſſe vel ex eo conſtat, quòd ſic laborantes, antea plurimum ſanguinem liquidum cum vrina reddiderunt, *& dolor in imum incidat ventrem,* quem hypogaſtrium dicimus, *& pectinem,* imò ventri ſubiacentem, quo in loco

co pili inhorrescunt. *& fœmen*, siue perinæum & interfœmineum, nempe spacium, penem & anum intercidens, *circa vesicam*, & alia instrumenta, quæ vrinæ inseruiunt, *dolor est*, maléque ea omnia afficiuntur.

APH. 81. ARGVM.

Exulceratæ vesicæ signa percensentur.

I *sanguinem*, tenuem vel crassum, *& pus* verũ, *minxerit* aliquis, quę duo vesicæ sunt non propria, sed aliis etiam partibus signa communia, *& scammulas*, quæ scabiei vesicæ certa sunt signa, *& grauis odor ad sit*, ob magnam vrinæ copiam ad vesicam profluentem, in qua admodum imbecilli promptè putrescit & grauem fœtorem subinde requirit, *vesicæ exulcerationem significat*. modò grauis odor & scámulæ adesse videantur.

APH. 82. ARGVM.

Qua ratione vrinæ suppresio in penis foramine ex tuberculo nata, soluatur.

Vibus in vrinaria fistula, & penis eo foramine per quod vrina excernitur, *tubercula*, & tumores præter naturā, ſuppreſsionē vrinæ efficientes, *naſcuntur*, & eſſe cœperunt, *his ſuppuratione facta*, vt cum hac tubercula ad ſuppurationē peruenerint, adeò vt pus effectum ſit, *& eruptione* puris facta quod in tuberculi folliculo cōtentū, vrinam ne exiret impediebat, *ſolutio* fit doloris, & ſuppreſsionis, vrinæ quippe propter tubercula dolores excitabantur, ſequebatur & obſtructio, vnde vrinæ ſuppreſsio erat.

APH. 83. ARG.

Vnam vacuationem, aliam impedire, mictionis & deiectionis exemplo.

M*ictio noctu*, quo tempore potiſsimum vrina, & alui excremēta excernuntur, ratione ſomni, & coctionis probè factæ, *plurima facta* in ſanitate, *paruam ſignificat deiectionem*, quòd corporis noſtri humiditates ad vrinę vias tranſmittantur, & excrementa in inteſtinis coaceruata ſicca remaneant, neq; excerni poſsint.

Aphoriſmorum libri quarti finis.

Libri

Libri quinti

ARGVMENTVM.

Varia est hæc quinta sectio, prope modũ tamen in mulierum morbis, vterìque affectibus bonis, vel malis tota est.

APH. 1. ARG.

Conuulsionem ex Hellebori, omnísque medicamẽti vehementis assumptione prouenientem, periculosam, mortémque sæpius inferre.

C*Onuulsio ex hell boro* albo *lætalis est*, propter inanitionem ab immodica vacuatione, quam sequitur siccitas incurabilis.

APHOR. 2. ARGV.

Cõuulsionem ex vulnere factam magna ex parte lætalem esse.

C*Onuulsio ex vulnere*, quã magna ex parte sequitur inflammatio, eaque potissimum, quæ neruosas attingit partes, *lætalis est*, certè periculosa, & ad

mortem vt plurimum tendens.

APH. 3. ARGVM.

Singultũ aut conuulſionem à copioſa ſanguinis eruptione factam, periculoſam.

VBi *ſanguis plurimus effluxerit*, à quouis loco, ſiue à naribus, ſiue ab ore, thorace, ventriculo, vtero, hæmorrhoidibus, vulnere, *ſingultus*, qui ventriculi deprauatus motus eſt, *aut conuulſio ſuperueniens, malum*: quippe cùm ſanguinis profluuiũ omnes corporis venas exhauriat, vt eas quoque, quæ ſunt in ore ventriculi vacuet, oportet, quibus vacuatis fit vt vehementius ex ipſo vẽtriculo trahãt: qui tandem ex ea inanitus tractione & exiccatus ſingultum non abs re incidit.

APH. 4. ARGVM.

Singultum aut conuulſionem immodicis purgationibus ſuccedẽtem malum portendere.

EX *ſuperflua*, & immodica *purgatione* arte facta *conuulſio aut ſingultus ſuperueniens, malum*, quòd immodicam inanitionem (quam partium ſiccitas inſanabilis conſequitur) ſignificent.

APH.

APH. 5. ARGVM.

Ebrios interdum conuulſos mori.

S*I ebrius quiſpiam repente obmutuerit*, ob vinũ immodicè ſumptum, quod certè neruos, & cerebrum eorundem principium opprimit, *cõuulſus moritur*: nam pleno cerebro frigidâ materia nerui implentur & conuelluntur, *niſi febre corripiatur*, quæ ſua caliditate & ſiccitate humores frigidos diſcutiat & exiccet. *aut vbi ad horã peruenerit, qua ſoluuntur crapulæ*, pro multitudine ac vi epoti vini, & eius qui potauit natura, *vocem recuperet*, hoc enim vbi acciderit, manifeſtum eſt naturam, vniuerſam materiam frigidam iam euiciſſe.

APH. 6. ARG.

Quis morbi peracuti finis ac terminus, diſtentionis exemplo.

Q*Vicunque à diſtentione*, morbo peracuto *corripiuntur, in quatuor diebus pereunt*, quòd is ſit illorũ morborum terminus, & facultas ipſa admodum etiam robuſta dolorem & laborem, quẽ diſtentio ipſa adfert, diutius ferre non poſsit. *ſi verò hos effugerint*, & vl-

tra diem quartũ progrediuntur, *sani fiũt*, quippe tum naturam ſuperaſſe morbum certiſsima ſpes eſt.

APH. 7. ARGVM.

Aetatis commutatione ſanari morbũ comitialem, prẹſertim quem quis ante pubertatem incurrit.

Vibuſcunque morbi comitiales fiũt ante pubertatem, vt ab anno decimoquarto ad vigeſimumquintum, *mutationem accipiunt*, & ſanantur. *quibuſcunque autem vigeſimoquinto* anno accidunt morbi comitiales, vt in iuuentute, *commoriuntur*, & magna ex parte ad finem vſque vitæ durant, ſequens enim ætas frigida & humida cum ſit, ab ea non profligantur, ſed potius tãquam à ſuo ſimili conſeruantur.

APH. 8. ARG.

Pleuritide correptos oportere purgari ꝑ ſputa intra quatuordecim dies, alioq; malum ipſum in ſuppurationem abire.

Vicunq;, morbo laterali, acuto nimirum, *laborãtes in quatuordecim diebus*, in quibus acuti magna ex parte iudicantur, *non repurgantur* per ſuperiora

periora & ſputa, ſupputãdo videlicet ab eo quo expuere cœpit die, *hi ad ſuppurationẽ vertuntur.* niſi enim humores, qui inflãmationẽ excitarunt, in thoracis ſpaciũ, & concauitatẽ reſudẽt & effundãtur, atq; adeò intra quatuordecim dies per ſputa expurgentur, fit inflãmationis ad pus trãſmutatio, & puris inter thoracem & pulmonem effuſio, & tandem morbi in aliũ morbum conuerſio.

APH. 9. ARG.

Tabem, quæ pulmonis exulcerationẽ conſequitur, adoleſcentiæ & iuuentuti potiſsimum accidere.

T*Abes*, quæ pulmonis exulcerationem cõſequitur, *fit maximè in ætatib⁹ à decimooctauo vſq; ad trigeſimũ quintũ*, nẽpe in adoleſcentia & iuuẽtute, non ætatis quidẽ ratione, ſed propter errores quos ea in ætate cõſtituti, in victus ratione cõmittunt, belligerãt enim, ſaltãt, currunt huius ætatis homines, venationẽ, aliúdve genus laboris, vel exercitij immoderati exercẽt, ob quę venas rũpi accidit, vel quòd ſanguis in his copioſus ſit, & bilioſus magna ex parte, qui ſua acrimo-

nia vaſa erodens, ſanguinis ſpuitionem & ſubinde tabem excitet.

APHOR. 10. ARGVM.

Tumores anginam efficientes nonnunquam in pulmones decumbere, & intra ſeptem dies mortem adferre.

QVicunque *ab angina*, quæ cynanche dicitur, *liberantur* ob eius tranſmutationẽ, *his ad pulmonem vertitur*, quippe materia quę anginã creabat, ad pulmonem delabitur, *& in ſeptem diebus*, & intra ſeptem dies *pereunt*, quippe ab humoribus eò delatis ſuffocantur. *ſi verò hos effugerint* dies ſeptẽ, *ſuppurantur*, nec moriũtur: humores enim qui in pulmones decubuerunt, in pus mutantur. quod ſi ſubinde non repurgetur vt decet, tabidos fieri contingit.

APH. 11. ARGVM.

Duabus notis tabe correptos breui morituros.

QVi *tabe moleſtantur*, & macie, quæ pulmonis vlcera comitatur, *ſi ſputũ quod extuſſiunt*, & tuſsiẽdo excreant, *graue olet*, *iniectũ carbonibus ardentibus*, læthale ſignũ eſt, extremã enim

putrefa-

putrefactionẽ humorũ, qui ſunt in pulmone ſignificat, *& capilli è capite defluunt, lætale:* nam & humorũ corruptio, & maximus alimenti defectus oſtenditur.

APH. 12. ARGVM.

Tabe quoq; correptis alui profluuiũ ſuperueniens, lætale ſignum.

Q*Vibuſcũq; tabe laborãtibus*, ob pulmonis vlcera, *capilli è capite defluũt, ij alui profluuio ſuperueniente moriuntur.* hoc enim facultatẽ nedũ in ægrotis, ſed & in ſanis diſſoluit atque deiicit, ſummam præterea naturaliũ facultatum imbecillitatem ſignificat.

APHOR. 13. ARGVM.

Spumantem ſanguinẽ tuſsiendo reiectum, è pulmone prouenire.

Q*Vicunq; ſpumantẽ ſanguinem*, innumeras ampulas obtinentẽ, ita vt eius pars nulla ſit, ſaltẽ notatu digna, intus, & in ſuperficie, quæ ſine ſpuma reperiatur, *expuunt*, & tuſsiẽdo excreãt, qđ fit pulmone vlcerato, *his è pulmone eductio* ſit, vtpote qui illius ſubſtantiã referat, quę leuis, rara, aërea, ſpirituoſa, & veluti ex ſpuma quadã ſanguinis concreta, cõflata ſit.

APH. 14. ARGVM.

Profluuium alui in tabe, etiam ſi ſolum ſit, lætale eſſe.

A *Tabe habito profluuium alui*, nimirũ Diarrhœa, *ſuperueniẽs, lætale*, magna enim viriũ imbecillitas ſignificatur, non tamẽ è proximo neq; tam citò mors ſuperueniet, ſicuti cum defluuium capillorum adiungitur.

APH 15. ARG.

Quid ſuppuratione facta ægrotantibus accidat.

Q *Vicunque ex morbo laterali ſuppurantur*, & pus intra thoracem & pulmonem continent, *ſi in quadraginta diebus*, quippe eſt terminus iudicationis acutorum morborum ex degeneratione, qualis eſt iam pleuritis in ſupratione, quâlis eſt iam pleuritis in ſuprationem abiens, *repurgentur*, per ſputa ſuppurando, ſcilicet *à die quo fit ruptio, liberantur* à morbo, toto enim eo tempore, nempe à die quo fit ruptio, vſque ad quadrageſimũ pulmonis ſubſtantia illæſa & incorrupta remanere poteſt. *ſi verò nõ* per ſputa, intra dies quadraginta, repurgentur, *ad tabem tranſeunt*, quòd pulmo diutius

diutius ab erosione tutus esse nequeat, quippe cum rarus sit, promptè in se recipit pus, à quo tandem eius substantia exulceratur, & fit tabes.

APH. 16. ARG.

Rerũ omniũ, earũ etiã quæ temperatæ sunt, vsum immodicũ noxiũ esse, calidi ipsius exemplo.

C*Alidum* corpus temperatum aqua nimirũ calida, *vbi quis sæpius*, & immodicè, *eo vtatur*, *hæc mala adfert*, & symptomata. *Carniũ effœminationẽ*, molliores nimirũ viros atq; adeò effęminatos & mulieres, *neruorũ incontinentiã*, & imbecillitatẽ, suo enim calore neruorũ substãtiam dissoluit, humiditatẽ verò laxat molliorẽq; reddit, vnde minus robusti ac cõtinentes redduntur. *mentis* seu rationis *torporem*, & hebetudinẽ, dissoluit enĩ immodicus calidi humidi tẽperati vsus, cerebri substantiã, *profluuia sanguinis*, quòd suo calore venas laxet atque vsus dilatet, *animi defectionem*, vt in his, qui in solio calido longiùs desidẽt, dissoluuntur enĩ spiritus. *hæc* symptomata ab immodico calidi tẽperati vsu accidũt, *ad quæ mors se-*

quitur, ad nonnulla quidem breui, ad alia verò longiori tempore.

APH. 17. ARG.

Detrimenta vſus immodici aquę frigidæ percenſentur.

F*Rigidũ autem*, aqua nempe frigida, ſi quis ea immodicè vtatur, hæc mala adfert, *conuulſiones*, quod neruoſas corporis partes cõtrahat & diſtẽdat, *diſtẽtiones*, & ex plenitudine & ex ſiccitate, ex plenitudine quidẽ, quãdo meatuũ denſitatẽ facit, qua ſuperflua excludũtur, vnde expirationẽ nõ inuenientia ad neruoſas ꝑtes vertũtur, & tũ diſtẽtiones à plenitudine fiũt. Ex ſiccitate verò, vbi ſiccũ, & ſine ſuperfluitatibus corpus eſſe cõtigerit, frigidum enim penitius ſubiẽs corpus etiã exiccat, & ꝑ poros tranſiẽs exprimit in morẽ ſpõgiæ, *liuores* & demigrationes efficit frigidum, quia natiuũ calorẽ extinguit. R*igores febriles*, & qui febres excitant, nõ per ſe quidem, ſed ex accidente, nam concluſis corporis meatibus putredinẽ, & ſubinde febrem excitari neceſſe eſt.

APH. 18. ARG.

Immodicus frigidę aquæ vſus quibus partibus

partibus corporis maximè obſit.

FRigidum inimicũ oſsibus, vtpote quæ ſint è ſemine procreata ,atque adeò exanguia & frigida, vt mirum nõ ſit exiguum eorũ calorem ab immodico frigidæ vſu extingui, *dentibus* quibus euidens ſentiendi vis ineſt, cum reliqua omnia oſſa ſenſu deſtituantur, nec doleant, etiam ſi pati quodammodo dicantur , vt ligna ab igne dum penitus in cinerem aguntur , & lapides, dum â malleis conteruntur, pati dicuntur, *neruis, cerebro*, & adiacentibus ei partibus, *ſpinali medullæ* & aliis eiuſmodi partibus per exceſſum frigidis, & exiguũ calorem natiuum obtinentibus, frigida aduerſatur, *calidũ verò* quod mediocritatem retinet, *vtile*, quòd exiguum prædictarum partium calorem à corruptione conſeruet & tueatur.

APH. 19. ARGVM.

Qua ratione ſananda detrimẽta quæ ab immodico frigidę vſu procreãtur.

Q*Væcunque refrigerata ſunt* ab immodico frigidæ vſu *excalefacere oportet*, vt per contrarium ad ſuũ ac natiuum temperamentum reducantur,

exceptis his quib⁹ sanguis fluit copiosè, *aut fluxurus est*, nam tum intemperie frigida neglecta, sanguinis eruptioni succurrendum, eamque primò curare oportet, vtpote à qua maius ægrotãti periculum quàm à frigida intemperie immineat. postpositis itaq; calefacientibus frigidis, & astringentibus vtendum ad copiosum sanguinis profluuium reprimendum.

APH. 20. ARGVM.

Mala quædam suprà modum adducta ab immodico frigidæ vsu, recenset.

V *Lceribus frigidum* frigidaque aqua *mordax*, non erodendo quidem id quod continuum est, sed potius diuellendo, *cutem obdurat*: substãtiã eius densans & constringens, *dolorem insuperabilem facit*, eo quòd natiuum calorem qui suppuratiõis causa est, extinguat, *liuorem obducit* & denigrat, *rigores febriles*, *cõuulsiones*, *distentiones*, creat, vt dictum est Aph. 17. huius sectionis.

APH. 21. ARG.

Quæ commoda interdum sequantur immodicum frigidæ aquæ vsum.

E*St autem vbi in distentione sine vlceratione*, quandoquidem quæ cũ vlcere sunt cõuulsiones nũquam ab aqua frigida curari possunt, *iuuene bene carnoso* & mediocri corporis habitu prædito, *æstate media* & in meridie, aliqui nudum corpus ab ambientis frigiditate lęditur alio tempore, *frigidæ aquæ multa* & copiosa *perfusio calorem reuocat*, idque non per se, neque primo statim eius occursu, sed ex accidente & mediante reuocatione caloris. Nam frigidæ aquæ affusio primùm cutem perfrigerat, refrigetionem verò acutis densitas & reditus caloris ad profundum, consequitur rursus cutis densitatem, difflatus prohibitio : reditum verò caloris ad interiora, concoctio, consummatióque eorum qui isthic sunt humorum sequitur: difflatus autem prohibitionem caloris collectio, tandem collectus, vnitus, nutritusq; calor ad summa corporis violentius ruit, &.fit eiusdem reuocatio, *calor autem primò*, & per se *hæc soluit* & sanat.

APH. 22. ARG.

Calidæ aquæ facultates enumeran-

tur, primùm quæ raro, deinde quę frequenter accidunt.

Alidis calidæque aque fomentum, *suppuratorium* pus, videlicet commutans, alterans, & concoquens, *non in omni vlcere*, neque enim in putridis vlcerib⁹, & iis quæ fluxiones habent, calida aqua suppurationem mouet, sed illis plurimum incommodat, *magnum ad securitatem iudicium* habet. sedat enim vlcera & sanitatem inducit, *cutem mollit* partésque duras & tensas non alia ratione, nisi quòd calida & humida sit, *extenuat* cutem crassam & densam, *dolorem sedat*, perinde atque alia omnia quæ primo ordine calefaciunt aut temperata sunt: *rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat*, quippe sua caliditate discutit, extenuat, concoquit. & alterat. *Et ex his* malis *quæ ad caput attinent*, quæque in capite sunt, *eius quidem capitis soluit grauitatem*, concoquens atque dissoluens quæcunque à crassa & vaporosa materia in caput tracta molestant, *plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè* & carne exutis, vehementius enim

à fri-

à frigida oblęduntur, cauebunt ob id sibi plurimum à frigore, quibus capitis ossa denudata sunt, *eorûmque maximè qui in capite vlcera habent*, nam non ossibus tantum, sed ipsi etiam cerebro frigidum inimicum est, calidum cõtrà amicũ, *& quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur*, vt hyberno tempore calcanea & perniones, & digiti, & extrema omnia à calido sanantur, *& repentibus comesis* herpetibus nimirum exedentibus, totamque cutem exulcerantibus confert calida, quippe frigida vlceribus inimica, quia mordax *sedi pudendis, vtero, vesicæ*: quoniam partes neruosę & frigidæ sunt, *his calidum amicum* & vtile, *& iudicans* & viuificans *frigidum inimicum & perimens*, vt enim calidum suo calore temperato prædictarum partium calorem fouet, conseruat, & tuetur, adeóque viuificat, sic contrà frigidum calorem earundem partium extinguens, eas perimit & mortificat.

APH. 23. ARGVM.

Commoda & incommoda quæ aquæ frigidæ vsum sequuntur, exprimuntur.

I*N his frigido* frigidaque aqua *vtendum vnde fluit ſanguis* copioſè, *aut fluxurus eſt* paulo pòſt, frigida enim conſtringit, ſanguinemque craſſiorem, adeóque ad profluendum minus idoneum reddit, *non ad ipſa* & ſupra ipſas partes, vnde ſanguis profluit, frigida admota confert, *ſed circa ipſa vnde influit* admota confert, quippe frigida vlceribus mordax, *& quæcunque inflammationes* modo ſuo tempore adhibeatur, frigida nimirum, vbi corpus prius euacuatum fuerit, adde frigidam nõ debere adhibe i vbi metus eſt ne ad principes corporis partes noxios humores propellat, *vel inflammina ad rubrum & ſubcruentum ſanguine recenti tendunt.* his frigidum admouere conuenit & quidem recentibus, vtpote quę rubrum & floridum colorem præ ſe ferunt, *nam veteribus* inflamminibus, *nigredinem adfert* frigida admota, quòd à craſſiore fiant ſanguine, quem ſubinde craſſiorem frigida efficit, & in grumos conuertit, quos nigredo comitatur: *Eryſipelas etiam*, ignem ſacrum nominatum, *non vlceratum, iuuat* frigida, quippe ter-

feruorem ſanguinis, & bilis acrimoniam, è quibus eryſipelas procreatur, extinguit: *nam exulceratum lædit* eryſipelas, quòd illi mordax appareat.

APH. 24. ARG.

Admodum frigida, incommoda multa adferre, niuis & glaciei exemplo.

Rigida ſupramodũ, *qualis nix, & glacies, aliáq; eius generis* valde frigidã *pectori inimica* ſunt: nam totum pectus oſſeum eſt, qua ratione frigida aduerſa eſſe conſtat, *tuſſes mouent* per ſe primùm, quòd ſimplici qualitate ſua, inſtrumenta reſpirationi deſeruientia refrigerẽt, deinde ex accidenti, quia deſtillationes mouẽt, quas ſubinde tuſſis inſequitur, frigus enim inſtar manus apprehendens ac premens vt ſpongiam, cerebrum, ac eam humiditatem, quæ in ipſo continetur, exprimit, *& ſanguinem* promanare copioſè faciunt frigida, nam venarum corpora conſtringunt & contrahunt, frigiditateque ſua duras & extendi contumaces reddunt, ob id tunicas earundem rumpunt. *Et deſtillationes* excitant quippe admodum frigida ex com

pressioue destillationes generant.

APH. 25. ARGVM.

Frigidam tumoribus & doloribus articulorum calidis multum prodesse.

T *Vmores articulorum atque dolores*, nimirum à flaua bile & sanguine bilioso factos *absque vlcere*, cui frigidum inimicum & mordax est, *& podagricos quoque*, à flaua quoque bile natos *atque conuulsa*, sine vlcere, *horum plurima frigida aqua largè effusa*, aliàs minimè *leuat* dolorem supradictorum affectuum, quippe humorum feruorē extinguit, & morsum obtundit, *extenuat* influentes humores reprimendo ac eosdem euacuando *soluítque dolorem*, quia causas eorundem tollit, humores qui sua copia tensionem excitarunt reprimendo. *Nam modicus* & mediocris *torpor* stupórue *dolorem soluit*, quòd mediocrem (qui sensum difficilem adfert) stuporem inducat.

APH. 26. ARGVM.

Optimæ aquę indicia exprimuntur.

A *Quæ quæ citò calet* igni admota, aut aeri calido exposita, *& cito refrigeratur* ab igne remota, aut

aeri

aeri frigido expoſita, *leuiſſima eſt* : non pondere quidem talis, ſed quòd pellucida, pura, atque adeò exquiſitè colata, fruſtillorumque innatantium expers ſit, ob id intus aſſumpta concoctu & diſtributa facilis, celeriter ventriculum, & hippochondria permeat.

APH. 27. ARGVM.

Quo remedio ſiti noctu euenienti ſuccurrendum.

Q*Vi noctu* (interdiu enim vigilantibus ſitim immodicam licet potu extinguere) *bibere appetũt*, ob humoris defectum, & partium quæ iuxta ventriculum ſunt ſiccitatem, atque adeò propter ſalſos aut bilioſos humores in oreventriculi contentos, denique qui à nimio meracioris vini potu bibere appetunt, *his admodum ſitientibus, ſi ſuperdormierint, bonũ*, nam ingeſti in vẽtriculum cibi & potus, atque adeò humores ſitim excitãtes per ſomnum concoquuntur, cibis concoctis ſanguis generatur, qui partes corporis nutrit & humectat, & ſitim excitatam reſtinguit.

APH. 28. ARG.

Qua ratione mulieribus euocanda menſtrua.

Vffitus *aromatum* & ex odoramentis *muliebria ducit*: purgationes nimirum menſtruas, quæ ex vtero ſtatis menſibus, & à partu fiũt, nec tamẽ oẽs ſuppreſſiões mẽſtruo odoramẽtorũ ſuffitu amolliuntur, ſed quæ duntaxat vel propter ſanguinis craſſitudinem, vel propter obſtructionem vaſorum, quæ ad vterum pertinent, vel propter horum obſerationem, vel propter denſationem totius ſubſtantiæ fiunt: ſua enim vi aromatum ſuffitus extrema vaſorum obſerata aperit, humorum craſſitudinem extenuat, & obſtructionem incidẽdo recludit, *ſæpius verò ad alia vtilis eſſet* ſuffitus per odoramenta factus, vtpote ad omnia frigida & humida corporis, vteri præſertim, mala, *niſi capitis faceret grauitatẽ*, quippe vapores ſuffitu, vtpote tenuiores, ad caput feruntur, idque complentes grauitatem eiuſdem efficiunt.

APH. 29. ARGVM.

Grauidas

GRauidas purgare turgente materia à quarto mense, vsque ad septimum, minus vero has, recentiores autem & seniores vereri oportet.

Hic Apho. copiosissimè exposit⁹ est initio lib. quarti, quare noua explanatione non eget.

APH. 30. ARGVM.

Mulierem grauidam acuto morbo facilè consumi.

MVlierem vtero gerentem, & grauidam, *capi ab aliquo morbo acuto*, citam terminationem & sæuissima symptomata habente, *Lætale est*, certè periculosum, vbi præsertim vires in grauidis inualidæ sunt. quippe tum necesse erit, vel fœtam alimento, vel fœtum inedia confici. quapropter ei iudicationi, quæ à morbo sumitur acuto, potius inseruiendum, quàm ei quæ à fœtu, præstat enim tenuiore victu seruare fœtam, vtrũque inde fœtui periculũ immineat, quàm pleniore & matrẽ & fœtum interimere.

APH. 31. ARGVM.

Grauidis & mulieribus sanguis haud mittendus.

MVlier vtero gerens fœtum, non autem carnis molem aut aliud quippiã, *sanguine mißo ex vena, abortit:* quippe mirũ nõ est post integrã & effatu dignã & tẽporib⁹ Hyppocratis celebratam solitã venæ sectionẽ, fœtui alimẽtũ subtrahi, adeoq; ex illius subinde defectu perire. *& magis* id accidit, *si fœtus sit maior:* quãtò enim is maior, tantò plus alimentis indiget. Cęterũ si ad cõsuetas nostri tẽporis venæ sectiones, (quæ antiquis collatæ ne scarificationis quidẽ appellationẽ merẽtur) respexerim⁹, nõ est dubiũ quin citra ꝑiculũ iis in grauidis vti liceat. modo virtus, ætas, corporis habitus, vict⁹ ratio quæ præcessit, tempus, cæliq; status hoc ipsum permittant.

APH. 32. ARGVM.

Qua ratione sanguinis vomitus ex suppressis membris ꝓueniens, sit sanandus.

M*Vlieri sanguinem euomenti*, ob mẽsiũ suppressionem, *menstruis erumpentibus*, quæ prius sistebant, *solutio* fit mali. sanguis enim qui ad superiora tendebat, ad inferna retrahitur, & per vterũ vacuatur, fitq; solutio vomitus illius

illi⁹. quòd si naturę lege id fieri nõ posſit, medico ꝓcurandũ per ſectionẽ venę q̃ in crurib⁹ eſt, poplitis dicta, aut malleolorũ.

APH. 33. ARGVM.

Suppreſsionem menſium ob affectum aliquem præter naturam factã ſanari profluuio ſanguinis é naribus.

M*Enſtruis deficiẽtibus* alicui mulieri ob affectũ præter naturã *ſanguis ex naribus fluens*, vt loco cõuenienti & cõmodo, *bonũ*. Iſta enim ratione retractio ad ſuperiora ſimul etiã vacuatio ſanguinis præter naturã retẽti fit, quod naturæ opus per omnia medico imitandũ.

APH. 34. ARGVM.

Sine modo fuſam aluum mulieri grauidæ, partum elidere.

M*Vlieri in vtero gerenti*, & grauidæ, *ſi aluus plurimũ profluat*, exiguũ enĩ ꝓfluuiũ parũ aut nihil nocet, *periculũ eſt ne abortiat*, quippe tũ cibus ad iecur aliáſque corporis partes non diſtribuitur. vnde neceſſe eſt, vt vires labefactentur, corpúſque extenuetur, & fœtui alimentũ pinde atq; ꝑ venę ſectionẽ ſubſtrahatur.

APH. 35. ARGVM.

Sternutationem ſponte prouenientẽ

mulieribus vteri ſtrangulatione laborantibus, aut ægrè parientibus bonam eſſe.

Vlieri quæ vterinis, vteriq; ſtrangu-
M lationibus & ſuffocationibus *molestatur aut difficulter parit*, ob expultricis facultatis impotentiam, *superueniens ſternutatio*, *bonum*, tanquam ſignũ & cauſa, ſignum quidem bonum, quòd natura priùs emortua propriarum motionũ meminiſſe videatur, excitari quoq; ac reuiuiſcere quando ſuperflua deturbat. Cauſa verò bona eſt, quia vehemẽti concuſſu atq; feruore partim naturã excitat, partim ſuperflua corporis multum inhærentia excernit.

APH. 36. ARGVM.

Qua ratione medendum mulierib⁹ quibus decolores mẽſes, nec eodem ſemper tempore profluunt.

Vlieri menſes decolores, nimirum co-
M lori ſãguinis, qui ruber ac floridus eſt, non reſpondentes, id quod accidit vbi naturalem colorem non præ ſe ferunt, ſed potius variũ & diuerſum. *nec per idẽ ſemper tempus venientes*, per quod

antea

antea cõsueuerãt fluere, verũ nũc tardius nũc citius: *Purgationẽ indicãt esse necessariã*, humorũ scilicet decolores mẽses facientiũ, vt vitiosorũ, & supabundantium.

APH. 37 ARGVM.

Grauidarũ mãmas, tenues repentè factas, abortum portendere.

Vlieri vtero *gerenti si mãmæ graciles,* M & tenues *fiant repẽtè*, absq; nimirũ causa manifesta, nullóq; præcedẽte symptomate, *abortit*. fœtũ siquidẽ tũc validũ esse existimare oportet, alimẽtũ verò nõ habere copiosum, propterea calcitrat, mouetur, & loco stare nescit, tandemq; ligamenta, quibus ligatur, perfringit, omnifariam ei deficiente alimento.

APH. 58. ARGVM.

Ex mammarũ attenuatione, grauidã gemellos ferentem, marem aut fœminam per abortum amissuram.

Vlieri vtero gerenti geminos habenti, M & ferenti, *si altera mãma gracilis fiat* & extenuetur, *alterũ abortit*, eũ scilicet qui in ea vteri parte cõtinetur, quæ mãmæ extenuatę è directo respõdet, idq; propter alimenti inopiã fit. *&* *si quidem*

mãma dextera gracilis fiat, marem abortit, quippe fœtus qui mares sunt, parte vteri dextra cõtinẽtur, *si verò sinistra* mãma extenuetur, *fœminã* amittit, propter inopiã alimenti, quippe, vt dictũ est, fœtus fame excruciati calcitrant, appendices & ligamenta dilacerant, atque hac ratione mulier abortit.

APH. 39. ARGVM.

Posse fieri vt mulier quę neq; grauida, neque puerpera sit, lac habeat, ob suppressa menstrua.

SI mulier, quæ neq; grauida est, neq; peperit, lac habet, huic mẽstrua defecerũt, retẽtis enĩ mẽsib⁹ venę q̃ inter mãmas & vterũ sunt, implẽtur, sanguisq; qui per vterum singulis mensibus vacuari deberet ad mãmas trãsmittitur, ac subinde ꝑ adenas qui illic sunt in lac transmutatur.

APH. 40. ARGVM.

QVibuscũq; mulierib⁹ ad mãmas sanguis prauus qui in lac cõuerti, ꝓpter suã prauitatẽ, nõ potest, *colligitur*, & coacervatur ꝓpter suppressos mẽses, *furorem significat*. cũ enĩ biliosissimus & feruentissimus sit, in lac transmutari nõ potest;

delabitur

delabitur itaque per corpus vniuersum, capútq; potissimum petit, vt minimè mirum sit eas mulieres quibus hoc accidit in furorem agi, sanguine enim bilioso in caput delato fit furor & mania.

APH. 41. ARGVM.

Experimentũ quo explorare licet nũ mulier grauida sit, nécne.

S*I velis noscere an concœperit mulier*, ne temere medicamentum quod abortum efficiat, sed tutò illud exhibeas, *cum dormitura est*, vt nimirũ à potionis sumptione quiescere possit, quippe per quietem flatus non resoluũtur, sed per exercitia, vt quæ calorem natiuum, flatus discutere potentem, augeant. *Aquam mulsam*, in cuius vsu minus periculi est, quàm aliorum quæ flatulenta sunt, *potandam da*, idque à cœna, quòd scilicet ab illa magis quiescere liceat, quodque calor natiuus cibi alteratione & concoctione occupatus, flatus minus discutere & attenuare queat. *Et si alui tormina patietur* mulier post mulsæ crudæ vsum, hæc enim ventrem & intestina flatibus implet, *con-*

cœpit, flatus enim excitati liberum exitum non habẽt propter inteſtinorũ quæ fit ab vtero cõpreſsionẽ, vterus enĩ inter veſicã & rectũ inteſtinũ ſitus eſt, adeò vt recto inteſtino toti ferè incũbat, *ſi minus* ſentiat grauida dolores à potiõe mulſę, *nõ concepit*, propter contrarias rationes.

APH. 42. ARGVM.

Grauidæ colorẽ probũ vel malũ, iudicare maſculum, aut fœmellam geſtari.

M Vlier grauidã. *ſi marẽ cõcœpit, bene colorata eſt*, propter nimirũ fœtus caliditatẽ, eſt enĩ magna ex parte maſcul⁹ fœminâ calidior. oportet aũt hic mulierẽ ad ſeipſam, & nõ ad alterã conferre, *ſi verò fœminã* concœpit. *malè colorata* eſt, quòd hæc ipſa natura ſit frigidior.

APH. 44. ARGVM.

Eryſipelæ in vtero grauidæ progenitum periculoſum eſſe.

S *I mulieri grauidæ in vtero ſit eryſipelas*, nimirum ex bilis & ſanguinis calidi mixtura ortũ, aut ſanguine ſolo quidem, ſed feruido. *&* ſubſtantia tenuiſsimo, *Lætale*, quippe hoc ipſum eryſipelas non febris tantum acuta, ſed & do-

lores

lores & mordicationes vteri ſequuntur, quæ ſingula nō tantū fœtui ob loci malè affecti vicinitatē, verū etiā matri moleſta ſunt, nedū febris ſola acuta, quæ fœtum magna ex parte interimit.

APH. 44. ARGVM.

Grauidas ſupramodum tenues, bimeſtres elidere fœtus.

Q*Væcunq; præter naturā*, & ſupramodū, *tenues exiſtentes*, à morbo, inedia, aut fame, *vtero gerunt, abortiunt* ſecundo menſe, *priusquā craſſeſcāt*, & donec pinguiores reddantur, quòd vniuerſum alimentū fœtui deſtinatū matri valde extenuatæ ſit impartiendū, vnde fit vt interim fœtus alimento conuenienti priuatus corrumpatur & pereat.

APH. 45. ARGVM.

Grauidas mediocri corporis habitu præditas, etiam interdum abortire.

Q*Væcunque mediocriter corpora habentes*, vt hæ ſunt quæ neq; admodum tenues, neq; plus iuſto craſsiores ſūt *abortiunt*, fœtumq; excutiunt, *ſecūdo aut tertio*, atq; adeò quarto, *menſe* poſt concœptionē, *ſine occaſione manifeſta*, vt ob ve

hementẽ febrem, aut alui profluuium, aut ſanguinis defluxũ, ingentem clamorẽ, rabidã iram, vehemẽtem ſaltum, eryſipelas ĩ vtero, mẽtis triſtitiã, victũ parcũ, aut aliũ quẽuis affectũ extrinſecus euenientẽ, *ijs acetabula vteri*, & venarũ capita, quæ ad vterũ perueniunt, *plena mucoris ſunt*, lentiq; & pituitoſi humoris, *& non poßunt ex pondere fœtum continere, ſed diſrũpuntur.* nam à pituitoſo illo humore acetabula laxa, molliaq; & imbecilla fiunt, ita vt mirũ nõ ſit ſi fœtum iam grandiuſculũ, & grauitatẽ nactũ continere nequeant, ſed planè rumpatur.

APH. 46. ARGVM.

Immodicè craſſas non concipere, niſi ad mediocrem corporis habitũ redeant.

Quæcunque præter naturam, & immodicè *craßæ non concipiunt vtero, his omentum*, infra vmbilicum & ad pubis oſſa ſitum, maximum in hominibus, præſertim obeſis, *os* internũ *vteri comprimit* ſua mole, vnde fit vt ſemen viri in vterũ muliebrem iniici nõ poſsit, *& priusquàm extenuentur*, & ad medio-

critatem

critatem perueniant, *non concipiunt*. ſic enim internum vteri os ab omenti & epiploi pĩguedine cõprimitur, & anguſtatur, vt virile ſemen excipere nequeant.

APH. 47. ARGVM.

Suppurationem vteri quę in laterib⁹ & iuxta coxas fit vtpote extrinſecus, curationem per emmota requirere.

SI *vterus in coxam vergens*, idque ad exteriora, *ſuppuratur*, & in pus tranſmutatur eius inflammatio, *Neceſſe eſt linamentum*, ſiue *emmotum fieri*, rupto abſceſſu, qui extrà iuxta cutẽ attollitur, ab arte vel à natura, ne videlicet medicamentum iniectum effluat. Cùm enim linamentis concerptis vlceris os clauditur, fieri non poteſt vt medicamenta indita effluant.

APHO. 48. ARGVM.

Fœtus mares dextra vteri parte, fœminas ſiniſtra magis contineri.

FOetus mares, vtpote robuſtiores, biliosiores, & ſanguine magis prędíti, *in dextris quidẽ* vteri partibus magis cõtinẽtur, vt calidiorib⁹, & nutrimentũ calidius habẽtib⁹: *fœminæ verò*, vtpote frigi-

dioris, *in sinistris magis* cõtinẽtur, vt frigidiorib⁹ & nutrimẽtũ frigidius habẽtibus.

APH. 49. ARGVM.

Sternutatorio medicamento naribus apposito Secundam excuti.

VT *secunda procidat*, quàm contingit interdum firmiter vtero adhærescere, fœtu excusso, quæ si diutius in vtero mãserit, putrescit, & odoris grauitate capit, complet, stomachum euertit, & alia grauia procreat symptomata. *sternutatorio* medicamento *apposito* naribus, *nares apprehendito, & os* claudito, vt spiritus ad inferiora descendens, sternutamenti violentia, & concussione secundam cuius interuentu fœtus vtero nectebatur, deorsum ferri faciat.

APH. 50. ARGVM.

Qua ratione menstrua immoderatè promanantia, sistenda.

MVlieri si velis mẽstrua cohibere, propter immodicum eorum defluxum, *Cucurbitam quàm maximam*, vt vehemẽter per cõmunes venas sursum reuellat, tum quia magnam ignis copiam hæc suscipit, tum quia amplam loci latitudinem

tudinem occupat, *ad mammas*, & ſub ipſis mãmis *appone*, ea videlicet parte, qua venæ ad ipſas infernè aſcendunt: ad mammas nequaquam affigendæ, quòd appoſitione læderentur, aut nimium trahendo inflammationem in his excitarent.

APH. 51. ARGVM.

Oris vteri coarctionem, maximũ conceptionis indicium.

Q*Væ vtero gerunt*, *his vteri os* internum *comprimitur*, atque adeò ita coarctatur, vt ne ſpecili mucronem admittat, niſi ad ſuperfętationem recludi contingat, vt in ſe recipiat ſemen: atqui rarò admodum hoc, vt & ſuperfœtatio ipſa accidit.

APH. 52. ARGVM.

Fœtus in vtero imbecillitatẽ, aut robur, coniici è mammarum conſiſtentia.

M*Vlieri vtero gerenti*, *ſi lac multum è mammis effluat*, adeoq́ue laxæ flacidæve fuerint, *fœtum imbecillem ſignificat*: nã præ imbecillitate lac attrahere & alterare pro ſui alimento nõ poteſt: quare per cõmunes venas ſurſum ad mã-

mas fertur, & illic in lac cõuerſum plurimum effluit. *ſi verò mammæ ſolidæ fuerint.* vtpote neque admodũ impletæ ac duræ, neque molles & laxæ, *fœtum ſignificant ſaniorem,* quippe tum ſatis alimẽti fœtui accedit: reliquum verò ſanguinis quo nõ eget, ad mammas defertur, vt illic in lac mutatũ, à partu ſtatim fœtui, vt inde alatur, præſtò ſit.

APH 53. ARG.

Mulieribus abortiẽtibus accidere vt mammæ extenuentur.

Væ corrupturæ ſunt fœtus, & abortum facturę, ſeptimo vel octauo menſe *his mãmæ extenuantur,* ratione defectus alimenti. nam ex quacũq; cauſa grauida abortiat, in vtero priùs excitari dolorẽ neceſſe eſt: neq; enim vteri os ad fœtus eiectionẽ citra dolorẽ aperitur. dolore itaq; orto ſanguis & ſpiritus ad vterum deferuntur, reliquis partibus, mãmis potiſsimũ quibus cũ vtero magna eſt communitas, relictis, vt per hæc duo veluti inſtrumenta quædam, expellatur quod infeſtat, quamobrem accidit vt mãmæ vtpote ſanguine & ſpiritu deſtitutæ,

ſubinde

ſubinde extenuentur.

APH. 54. ARG.

Os vteri coarctatum, durum apparere, plegmonem præ ſe ferre.

Vibus mulieribus, *os vteri* internum *durũ eſt*, & plegmone laborat, ad obſtetricis tactũ, *his vteri os cõprimi eſt neceſſarium* ob plegmonẽ, aut durum aliquẽ tumorem, vt quibus molle eſt concœptũ præ ſe ferre neceſſe eſt.

APH. 55. ARG.

Grauidas febricitantes, & vehementer extenuatas, difficulter parere & cum periculo, aut abortire.

Væcunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, vehementibus, mediocrib⁹, vtpote natis à vitioſis & putridis humoribus, *& fortiter caleſiunt*, extenuantúrve, *ſine occaſione manifeſta*, & plus quâm ratio poſtulat, *difficultate pariunt, & cũ periculo*, propter matris & infantis imbecillitatẽ, *aut abortum facientes periclitantur*, eo quòd febris vehementiã, & victus rationẽ tenuẽ fœtus ferre nõ poteſt. adde quòd medico nõ licet vitioſos humores, qui febrẽ excitarũt, purgantia medicamẽta grauidę ꝓpinare.

APH. 56. ARG.

Conuulſionē & animi defectū fluori muliebri ſuccedētia, malum portendere.

IN *fluxu muliebri*, & vteri fluore, per quem vniuerſum expurgatur corpus, *ſi conuulſio & animi defectus aduenerint, malum*, tum ob immodicam & extremam corporis, partium maximè neruoſarum, ſiccitatem, tum propter ſummam virium imbecillitatem. quæ immodicam hanc euacuationem magna ex parte aquoſam & ſeroſam, interdum etiam cādidam aut pallidam, ſequitur.

APH. 57. ARG.

Ex multitudine aut defectu mēſtruorum morbos fieri.

SI *menſtrua plura fiant*, quàm naturæ mulieris conueniat, nimirum ſi vltra conſuetum tempus purgationis copioſè effluant, *accidunt morbi*, quòd ex immodica eorum vacuatione vniuerſum corpus refrigeretur, viréſque debilitentur. fit autem magna ex parte hydrops, *& ſi non fiant* menſtrua, & ſupprimuntur, *ex vtero morbi contingunt*, quòd pro-

inde atque salsa terra herbas, nec locum exulceratum cicatrice obduci permittit.

APH. 5. ARGVM.

Dolore affectus locus, atque doloris magnitudo diligenter consideranda.

D*Olores qui sunt in lateribus & pectoribus*, partibus nimirum vehementissimos & periculosissimos dolores habentibus, *atque aliis partibus* corporis totius, *si multum differant*, & præualeant, vehementésque sint, *perdiscendum*, quippe ex loco statim non dolor ipse sit periculum allaturus, aut periculo vacet, dignoscere est.

APH. 6. ARG.

Diuturnos morbos non posse absq; multo negotio sanari in senibus, renum & vesicæ exemplo.

R*Enum vitia*, vt sunt lapis, vlceratio, & eiusmodi, *Et vesicæ vitia*, siue dolores, vt sunt vlcera & inflãmationes, *In senioribꝰ*, vtpote ãnos quinquaginta natis, *difficulter sanãtur*, ob viriũ ipsorũ imbecillitatẽ. Adde hæc vitia quietẽ postulare, cui renũ & vesicæ opus irrequietum & incessabile plurimũ officit: præ-

terea ſuperfluitas has partes permeans, acris eſt, dolores harum partium irritare apta.

APH. 7. ARGVM.

Dolores in profundo corporis excitatos periculoſiores his qui in eiuſdē ſuperficie accidunt.

D*Olores*, & tumores *ventris, ſublimes*, in ſuperficie nimirum exiſtētes, vt ſupra peritonęum membranam tenuiſsimam omnibus inteſtinis & viſceribus, quæ intra ventrem ſunt, obductam. *Leniores* ſunt, quòd in partib[9] minus principalioribus fiant. *qui vero non ſublimes* dolores & tumores excitantur, ſed infrà & in profundo, vt in ventriculo, iecore, & ſimilibus principatum aliquem obtinentibus partibus, *fortiores*, & vehemētiores periculoſioréſque ſunt. Neque enim tam facilè, vt illis qui in ſuperficie corporis ſunt, remedia adhiberi poſſunt.

APH. 8 ARGVM.

Anaſarcâ laborantibus vlcera multo negotio ſanari.

Qua inter cutem laborantibus, & anaſaceâ, in qua totius corporis moles,

 ac

c vniuersa caro spongiæ instar humida & laxa existit, *vlcera in corpore facta, difficulter sanantur*, propter immoderatam vniuersi habitus corpis humiditatẽ, omne enim vlcus qua vlcus est siccari postulat.

APH. 9. ARGVM.

Lata exanthemata pruritum non valde excitare.

L*Atæ pustulæ*, ex frigidiore humore coortæ, *non admodum pruriunt*, quòd in latitudinem extentæ difflentur, humorq; has procreans acris non sit.

APH. 10. ARGVM.

Quibus rationibus capitis vehemẽs dolor soluatur.

C*Aput dolenti*, vehementer *& circũdolenti pus*, iam nimirum facta suppuratione effluens, *vel aqua*, quæ plerunq; à capite defluit, vel sanguis effluens *per nares, aut os, aut aures, morbum soluit*. per nares quidem sanguis profluens eum soluit dolorem, qui ex multitudine sanguinis excitatus fuerit: per os aqua effluens dolores ex crudis natos humoribus, per nares *pus* effluẽs, dolorẽ ca-

pitis ab inflammatione ortum sanat.

APH. 11. ARGVM.

Melancholicos & nephreticos iuua[t]
ab hæmorrhoidibus succedentibus

A*Tra bile vexatis*, nimirum melan-
cholicis, in quibus, humor melan-
cholicus superabundat, *& renum*
paßionibus, vt lapide qui ab humore cras-
so & terreo procreatur, *Hæmorrhoides s[u]*-
peruenientes, bonum, quia prædicta mala
sanant, nempe melancholiam & lapidem
renum: nec tantum sanant, quia euacuãt,
verumetiam quia humorẽ educunt, à quo
hæc mala procreantur.

APH. 12. ARGVM.

Qua ratione hæmorrhoides sanar[i]
conueniat, vt nihil mali ad eum qu[i]
sanatus est perueniat.

A*Diuturnis sanato hæmorrhoidibus*, per
artem, *si vna* ex hæmorrhoidibus
venis *non seruatur* aperta, vt per eã
fœculentus & melancholicus humor, at-
que adeò corporis superuacua alia expur-
gentur, *Periculum est aquam inter cutem*
aduenire, ob duriciem in iecore factam,

post

aqua, in ascite contenta, *vniuersim*, & confertim semelque vniuersa *effluxerit*, *omnes moriuntur*, quippe vnà cum humore spiritus vitalis vacuatur, atque adeò vires deficiunt & moriuntur.

APH. 28. ARG.

Hyppocratis tempore eunuchos non fuisse caluos, non item podagricos.

E*Vnuchi*, castrati nimirũ, quibus ante pubertatem membra virilia execta sunt, aut qui naturâ sine testib⁹ progeniti sunt, *neque podagra laborant*, quòd otio prorsus non vtuntur, nec coitu immoderato, neruosas partes, præsertim articulos ac pedes, plurimum debilitãte, sed quòd moderata victus ratione vtantur, *neque calui fiunt*, quandoquidem mulieribus similes sunt, & multam humiditatẽ redundantem obtinent, ad capillos assiduè fluentem, ex qua capilli nutriũtur & augentur.

APH. 29. ARG.

Mulieres Hyppocratis ętate podagra non corripiebantur, nisi suppressis menstruis.

MVlier, quæ moderata victus ratione vtitur, & sobriè viuit, *podagra non laborat*, neque affligitur, *nisi menstrua defecerint*, præter naturam, nam tum superuacua per vterum non euacuãtur, sed ad partes imbecilliores & ignobiliores à natura detruduntur, & hinc fit pndagra.

APH. 30. ARG.

Vsum venereorum plurimũ momenti gabere ad podagræ generationem, puerorum exemplo.

P*Ver podagra non laborat*,. nec articulari morbo, *ante vsum venereorum*, neque enim pedes, ac articulos imbecillos priusquàm coeant obtinent, neq; in ipsis concussio fit propter venereorum abstinentiam: post verò veneris vsum podagra laborant, nam tum materiæ funduntur ratione concussionis, pedésque læduntur, præsertim si ad patiendum sint habiles.

APH. 31. ARG.

Quinque genera remediorum quibus oculorum dolores traduntur, exprimuntur.

Dolores

D*Olores oculorum* aliquos,[1] *meri potio* ſoluit, nimirum eos, qui ex copia ſanguinis craſsioris, in venulis oculorum cõtenti, citra plenitudinem totius corporis procreantur. In quibus enim ſanguis craſſus oculorũ venulas intendit, citra plethoricũ toti⁹ corporis affectũ, vino fuluo, ſubſtantia tenui, & ætate antiquo vtendum, quod calefaciat, vacuet, & obſtructiones tollat & liberet: *aut balneum* alios oculorum dolores ſanat, eos nimirum, qui ab acribus humoribus ad oculos fluunt, citra corporis plenitudinem. hoc enim aquæ dulcis balneum dolores mitigat, acres humores euocat atq; contẽperat. *aut fomentũ* alios dolores ſoluit. vbi videlicet nihil cõfluit in oculos. tum enim quod in ipſis eſt ſuperuacuum diſcutiens, ſanitatem adfert. *aut venæ ſectio* aliis oculorum doloribus prodeſt. ea verò initio vtendum, vbi plenitudine corpus vniuerſum laborauerit, atque adeò ſecunda humeralis vocata vena, & ea quæ ſecundum rectum oculi malè affecti exiſtit. *aut medicamentũ epotum ſoluit*, alios oculorũ dolores, vbi præſertim malis ſuccis

refertum corpus fuerit, hoc autẽ pro redundantis humoris qualitate seu specie variare conuenit.

APH. 32. ARG.

Si balbi alui profluuio corripiuntur, longo potissimum capiuntur.

B*Albi*, parum exquisitè loquẽtes, iusto humidius cerebrum naturâ habentes, *ab alui profluuio*, si quando corripiũtur, vbi videlicet à cerebro humida illa excrementa defluunt in ventriculum, *longo maximè capiuntur* & diuturno profluuio.

APH. 33. ARG.

Acidum ructantes rarò pleuritide corripi.

Q*Vi acidum eructant*, & acido ructu laborant, qui fit quando cibi à frigore, aut pituitosis humoribus in ventriculo, ventriculíque amplitudine redundantibus, corrumpuntur, *non valde laterali morbo corripiuntur*, raroq; pleuritici fiunt, ꝙ naturâ sint pituitosi, lateralis autem dolor biliosos maximè inuadit.

APH. 34. ARGVM.

Capillorũ defluuio laborantibus ma-

greſſu temporis excrementa in vtero aceruentur.

APH. 58. ARG.

Stillicidij vrinæ cauſas tres eſſe, & ſingultum ſequi iecoris inflammationem.

R*Ecto inteſtino*, quod ordine ab infernis aſcendendo primum eſt, priores inter inteſtina partes occupans, ac eorum velut origo, *aut vtero*, vteríq; ceruice vel anteriore parte, *inflammationem patiente*, *vrinæ ſtillicidium accidit*, quòd iis duabus partibus maximus ſit cũ veſica connexus & conſenſus, vt vna earum malè affecta, neceſſe ſit etiam veſicam vexari: quare in earundem inflammationibus, veſica malè habet, eius enim facultas retentrix diſſoluitur, ceruix comprimitur, vt neceſſariò ſubinde vrina paulatim & guttatim exeat. *& renibus purulentis*, & ſuppuratis, *vrinæ aduenit ſtillicidium*, purè per veſicam euacuato, hoc enim ad veſicam delatum, ſua acrimonia mordicat veſicam, atque hac ratione excretricem veſicæ facultatem aſſiduè irritans, vt guttatim vrinam excer-

nat, efficit. *si verò iecur inflammatione laborat, singultus succedit,* ob ventriculi consensum & neruorum communicationem, quippe connexum est iecur ventriculo venarum cõmercio, & tunicę extrinsecus ambientis, in quã neruus minimus à sexta cerebri coniugatione inseritur, per quem illi cum ventriculo est communitas : qui enim ad ventriculum perueniũt nerui, ex sexta illa neruorũ cõiugatione nascũtur.

APH. 59. ARGVM.

Rationem adfert qua deprehendere licet, num mulier quæ non concipit, sua, aut viri culpa sterilis sit.

S*I mulier non concipit,* iustis nimirum concœptionis causis, vt mariti cõmertio, ætatéque legitima, præsentibus. *scire autem velis si concœptura sit,* & nunquid ipsa, an vir tam lõgæ sterilitatis causa fuerit, *pannis circuntectam,* vt vestibus vndiquaque inuolutam, *desubter suffias,* thure, myrrha, storace, & similib⁹, hoc aut consimili modo, vt infundibulum carbonibus, quibus odoramenta iniecta sunt, imponas, ita vt eius pars inferior, carbonibus incumbat, superior autem, vtpote

arctior

arctior, pudendo mulieris indatur, *& si odor videatur* intrinsecus *per corpus ire ad nares, & os, scito quòd ipsa non ex seipsa,* sed viri potius culpa, *sterilis est*. Nam tum corpus videtur omni vitio humorum vacare, & vterus probè temperatus, quippe si siccior, aut frigidior, aut vitiosis humoribus refectus esset, propter densitatem ac frigiditatem, vitiosique humoris redundantiam, odor ad os & nares conscendere non posset.

APH. 60. ARG.

Menstrua immodicè promanãtia, fœtum imbecillum significare.

SI *mulieri vtero gerenti purgationes mẽstruæ eant* crebrò & copiosè, *impossibile est fœtum esse sanum*, quippe hac ratione illi suum detrahitur alimentum, siquidem ex necessario sanguine alitur fœtus.

APH. 61. ARG.

Quomodo ex suppresìis mensibus prægnantes deprehendere licet.

SI *mulieri cessant purgationes* mẽstruæ, & desinunt fluere citra manifestã causam, *neq; horror neq; febris superueniat*, quę alioqui superueniũt, si menses supprimũtur ꝓpter causam aliquã præter naturam manifestã vteri, aut corporis totius. *& fastidia incidant* cibi, propter praua excreméta, quibus ventriculi tunicæ sunt imbutæ, *iudica ipsam in vtero habere*, & prægnantem esse.

APH. 62. ARGVM.

Sterilitatis, & fœcunditatis mulierũ causæ exprimuntur.

Q*Vacunque frigidos & spissos*, densósque *vteros habent, nõ concipiũt*, quòd frigiditas calorem seminis extinguit, certè adeò imminuit, vt ad cõcœptionẽ ineptũ sit semen. *& quæcunq; prahumidos vteros habẽt*, atq; ita lubricos ob immodicã humiditatem, vt semen continere non posſint, *non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura*, & semen ipsum genitale obruitur & inundatur, perinde atq; in cœnosa terra, cerealia semina, *& quæcunque* siccos admodũ, *& adurentes*, calidosque vteros habent, non cõcipiunt.

nam

nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. perinde atque in ſabulo proiectū ſemen germinare non poteſt, adde immodicū calorē, vniuerſum corporis ſanguinē ita depaſci, vt nulla aut certè paucisſima menſtrua habeant hæ mulieres. *quæcunq; verò ex vtriſq;* oppoſitionibus, nimirū calidi, frigidi, ſicci, *mediocrem habent temperaturam*, modoq́; & æqualitate inuicē reſpondent: *hæ fœcundæ ſunt*, & concipere poſſunt.

APH. 63. ARGVM.

In viris quoq; infœcunditatis & ſterilitatis cauſæ exprimuntur.

S*Imiliter autem & in maribus* ſterilitatis cauſæ ſunt quatuor, vt in mulieribus, nempe ſiccitas, humiditas, caliditas, frigiditas, *aut enim propter corporis raritatem*, atq; adeò ſiccitatē, quæ ipſam raritatē ſequitur, *ſpiritus extrà fertur*, diſflaturq́; & exhalat, *vt ſemen*, quo pauco abundāt raro corpore prȩditi, vtpote frigidiores & ſicciores tēperaturâ, *non tranſmittatur* ad teſtes. ſi enim multū tranſpiret, neceſſe eſt corpꝰ ſanguine, ex quo ſemē procreatur, minus abundare. *vel pro-*

pter spißitudinem, crassitudinē, & lentorē, *humor*, humiditásq; à viris quorū corpora humida & pituitosa sunt, *non exit foras*, quòd horum semen, perinde atq; sanguis ex quo procreatū est, sit crassum ac lentū, adeoq; ad excernendū minus aptum. *vel propter frigiditatē non concalescit* sanguis, nec cōcoquitur, *ita vt ad hunc colligatur locum*, & in vasis seminariis coaceruari possit, quippe si propter iecoris ac totius corporis frigiditatē sanguis non procreatur nec cōcoquitur, ex eo subinde semen nasci non potest. *vel propter caliditatē hoc idē accidit*. Immodica enim caliditas sanguinē in corpore assumit, & depascitur, quæ sterilitatis virorum causa esse potest.

APH. 64. ARGVM.

Cōmoda & incōmoda ex potu lactis ad ægros prouenientia exprimuntur.

L*Ac dare caput dolētibus malū* est. nā cū sit lac nidorosum, & facilè euaporet, caput petit, & dolorē auget. *malum verò & febricitātibus*. nā plurimo calori cōuersatū, in nidorē statim abit. adde q; in febricitantium vētriculo nō concoquitur, sed potius corrūpitur. vnde febris augetur.

augetur. *Et quibus ilia* & hypochondria *ſuſpenſa murmurant* , & ſonus alicuius ſpiritus exauditur, *malum* , in his enim lac aceſcit, *& ſiticuloſis* obeſt lac, nam ſitim exauget,quòd ſiticuloſi vt plurimum bile abundent, in quam magna ex parte lac conuertitur,vnde ſitis cauſa augetur, *malum autem & quibus in febribus acutis bilioſæ ſunt deiectiones*, exhauſtũ enĩ lac euaporat , & à cauſis calidis facilè in euaporationẽ deducitur, *& quibus ſanguinis multi deiectio facta eſt*, quòd copioſo ſanguine euacuato , facultates naturales imbecillæ factæ ſunt. Exhibitũ igitur lac propter ſuã craſſitiem haud cõcoquitur, ſed in ipſo corpore planè aceſcit, *cõuenit autem & tabidis dare qui nõ valde multum febricitãt*,quòd pus in pulmonibus exiſtẽs abſtergat,& vlcera eiuſdem conglutinet ægróſq; nutriat ,quòd ſi valde febricitẽt, lac illis nõ propinandũ ob cauſas ſupradictas, *& in febribus lõgis & paruis* pdeſt. lac quippe ſi diuturnę febres vehemẽtes ſimul eſſent , iis nõ cõueniret, *ſi nullum ex ſupradictis ſignis affuerit*, vt ſi neq; capitis dolor neque ſublata hypochõdria, &c.

Et præter rationem consumptis cōuenit dare lac, iis nimirū qui alia ex causa quàm pulmonis vlcere, sunt graciles & macilēti, illis enim lac bonum succum generans abunde alimentum suppeditat, vt hectica febre laborantibus, qui diuturnis, firmis, fixis, & difficulter solubilibus febribus laborant: paruis etiam, nam remissæ esse apparent febres hecticæ, adeò vt qui iis corripiuntur, se febrire negent.

APH. 65. ARGVM.

Quid boni vlcera, in quib⁹ tumores apparent, quid contrà mali ea quæ tumore vacant, sequatur.

Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur maximè, & rarò incurrunt conuulsionem.

Neque insaniunt, quòd noxii humores circa vlcera ipsa hæreant, nec ad neruosas partes aut cerebrum transmittantur. *verùm his* tumoribus *euanescentibus*, nimirū noxiis humoribus aliò translatis *derepentè* sine medicamēto quod discutiendi facultatem obtinet, aut sine sanguinis excretione, *quibusdam à tergo* vlcera habentibus *conuulsiones & distentiones fiunt*: vtpote

pote materia translata ad internum genus neruosum, aut ad dorsales musculos, quos implens conuulsiones & distentiones adfert: *quibusdam antè* & in anterioribus partibus fiunt vlcera, ac tum accidunt *insaniæ*. nam quum anteriores partes venis & arteriis abundant magis, prōptè per has ad caput noxia transmittuntur. Ita vt tum insaniam & furorem sequi minimè mirum sit. *Vel dolor lateris acutus* accidit, si noxii humores ad thoracem transferuntur, fit enim prōptè succingentis mēbranæ costas inflammatio, *vel suppuratio* accidit, si humores illi noxii non discutiuntur, sed in vacuum spacium thoracis & pulmonis inter mediū effundantur, *vel difficultas intestinorum* fit, & cruenta disenteria, non ea, quæ intestinorum est exulceratio, & quæ fit ex biliosis, & acribus humoribus, sed quę sanguinis colorem præ se fert. *Si* præsertim *tumores sunt rubicundi*, & sanguinis aut pomi rubri referant colorem.

APH. 66. ARGVM.

Vlcera in quibus nullus apparet tumor, damnantur.

SI *in vulnerib⁹ fortibus* & magnis, vtpote effatu dignã magnitudinem habentibus *& prauis*, nimirum in capitibus aut ſimilibus muſculorum & maximè neruoſorum exiſtentibus *tumor nõ appareat, ingens malũ* :quippe iudicium eſt humores noxios ad principes partes tranſmitti, qui tamen, propter dolorem quem praua & magna vlcera ſequi par eſt, ad vulnera ipſa potius confluere deberet, quippe dolor attrahit: & fluxiones concitat.

APH. 67. ARGVM.

Quales tumores in vlceribus boni ſint, quales item mali.

MOlles tumores & qui renitentibus & duris contrarii ſunt, *boni* cenſentur. eo quòd concoctionẽ ſignificant. *crudi veró* tumores, & duri, denſique, & ad tactum renitentes, *mali*: quippe cruditatem præ ſe ferunt.

APH. 68. ARGVM.

Qua via dolor in poſteriore capitis parte natus, ſit ſanandus.

DOlenti primaria ratione *partem capitis poſteriorẽ*, citra plethorã, *in fronte*

fronte recta vena, quę nimirum rectitudine fibrarum ac filamentorum ei venæ quæ partem malè affectam nutrit, respōdet, *incisa prodest*, quòd auertendo simul vacuet materias.

APH. 69. ARG.

Refrigerationes qua corporis parte tam viris quàm mulieribus incipiant.

R*Igores* & refrigerationes, quales sunt quæ vehementi gelu frigescentibus accidunt, *incipiunt mulieribus quidem* temperatura corporis frigidiore præditis *ex lumbis magis*, quòd is corporis locus sit admodum neruosus & frigidus, *& per dorsum* partésque posteriores, vtpote neruosiores atque ad suscipiendum & sentiendum frigus promptiores, *ad caput* perueniunt, *sed & viris parte corporis posteriore* & exteriore *magis quàm anteriore* refrigerationes inchoātur, quippe partes anteriores, quia venis & arteriis abundant, calidiores sunt, *veluti fœmorum, cubit'*, partium posteriorum & exteriorū, *sed & cutis rara* indicat anteriores partes esse posterioribus calidiores, rarum enim raritatem sequitur caliditas.

Indicio autem est pilus anteriorum partiū cutem esse raram, quanto enim dēsio est cutis, tanto minus in ea pili nascuntur, adde calidam temperiem hirsutam esse, contrà nudam pilis, frigidam.

APH. 70. ARG.

Quartana prehensum non posse à morbo comitiali capi, & ab hoc malo correptum, quartana superuenien te liberari.

A *Quartanis capti* febribus, *non admodum* neq; omnino *conuulsionibus capiuntur*, iis præsertim quæ ex plenitudine partium neruosarum oriuntur, quas morbos comitiales appellam⁹. *si verò prius capiantur* magno morbo & comitiali, proueniente ab humoribus lentis ac spituitosis, qui partibus neruosis inserti sunt, *& quartana superuenerit* febris, *liberantur*, tum per excretionem, tum per coctionem, per excretionem quidem rigoris beneficio: hæc enim sola agitatio crassum excutit humorem. Per coctionem verò caloris febrili ratione, qui rigorem consequitur.

APH. 71. ARG.

Qui cum ſudore, & contrà qui citra ſudorem moriuntur.

Vibus morti proximis *cutis circun̄enditur arida & ſicca*, atque adeò dura, *ſine ſudore moriuntur*, quòd ſcilicet ob febris vehementiam humiditas omnis exhauſta ſit, *quibus verò laxa & rara* cutis obtēditur, *cum ſudore moriuntur*, quòd cuti illi adhuc inſit aliqua humiditas, quę iam propter extremam retentricis facultatis imbecillitatem exit.

APH. 72. ARGVM.

Flaua bile abundantes non admodum abundare flatibus.

Vi regio morbo laborant, & flaua bile abundant, quorum videlicet cutis pallidum bilioſumque colorem refert, & quorum partes ad ventriculum ſpectantes validæ admodū ſunt, ita vt concoctu difficilia cōcoquent propter acrem & mordacē, quo prędit ſunt, calorem, *non multū ventoſi ſunt* & flatuoſi, vehemens enim calor partium prædictarum, eos quos cōplectitur cibos prorſus vincit ac conficit. ideoque flatus nullos procreat.

Aph. lib. 5. finis.

Aphorismorum Hyppocr. Lib. VI.

ARGVMENTVM.

Sexta hæc sectio propemodum ad eam artis partem pertinet, quæ futura bona, aut mala sint in morbis, prædicit.

APH. I. ARGVM.

Quid acidus ructus diuturnis lienteriis succedens præ se ferat.

IN *longis leuitatibus intestinorũ*, & lienteriis, quæ ex ventriculi & intestinorum imbecillitate nascuntur, *si ructus acidus fiat, qui prius nõ erat*, quique simul cum intestinorum leuitatibus nõ incœperat, sed eas sequitur, *signũ bonum*. Indicat enim calorem natiuũ qui antea prorsus languebat, nũc validiorem fieri, atque adeò cibum assumptũ in ventriculo aliquãdiu contineri, tanto nimirũ tempore, donec co ctionis initiũ assumat, qui alioqui secundum omnes suas qualitates talis permanebat, qualis fuerat assumptus,

ſumptus, ob alteratricem ventriculi facultatem omnino abolitam.

APH. 2. ARGVM.

Humidiores natura morbis magis obnoxios, quàm ſicciores.

Qvibus nares natura humidiores, atque adeò cerebrum ipſum humidius, quod deprehendere licet vbi plurimum muci & humiditatis è naribus defluxerit, idque natura, non ob externã aliquã cauſam, et *genitura humidior*, quin etiam vniuerſum corpus quibus humidi⁹ eſt, & totius huius ſanguis, à quo ſemen genitale procreatur, humi dior & copioſior, *minus integra ſanitate fruuntur*, ſed valetudinarii, & ex leui admodum occaſione, qui natura ſunt humidiores, deſtillationibus corripinutur, capitis grauitatem fere ſemper ſentiunt, quæ ſubinde comitialem morbum inuehit, vniuerſi quoque corporis humiditas febribus putridis & aliis morbis à putredine natis obnoxia. *Quibus verò contraria* accidunt, nimirum qui cerebro totiuſque corporis temperatura ſicciore ſunt præditi, *ſalubrius degũt*, quòd cerebrum, & corpus excrementis

& redundantibus humiditatibus vacuum vacuum obtineant.

APH. 3. ARGVM.

Inappetentia vnà cum febre in diuturnis disenteriis, malum portẽdere.

IN *longis difficultatibus intestinorũ*, nimirum disenteriis ab acribus humoribus factis, *inediæ ex fastidio* & inappetentiæ, cibique fastidia, *malum* portendunt, nam mortificationẽ nutritoriæ facultatis propter ventriculi cõsensum significant, *& cum febre* appetentia deiecta *peius* portẽdit: significat enim putredinem & corruptionem circa exulcerationes esse, vel effatu dignam inflãmationem, quæ etiam ventriculum ipsum perturbat.

APH. 4. ARGVM.

Vulnera in ambitu suo pilos non habentia mala esse.

VLnera circum glabra & pilis vndiquaque denudata *praua sunt*, maligna, contumacia, rebellia, & ad cicatricem difficulter perducũtur: prauus enim humor in profundo delitescens, pilorum radices depascitur, per-

post occlusam sanguini melancholico viam: is enim retentus multitudine, ac crassitudine hepar ipsum grauans, calorem in ipso natiuum extinguit, quo extincto sanguinis frustratur generatio, & tunc fit aqua inter cutem, *Vel tabem aduenire*, periculum est, copia nimirum humorum malignorum à iecore ad pulmonem propulsa.

APH. 13. ARGVM.

Singultum ex plenitudine natum sternutatione sanari.

A *Singultu*, ex plenitudine *habitum sternutatio superueniens liberat*, tollitque singultum, sternutãdo enim non solum cerebrũ, sed & ventriculus ob neruos ad eum deriuatos, vehementer concutitur ac quassatur, humorésque singultum excitantes vacuantur.

APH. 14. ARGVM.

Hydropis speciem, quæ auasarca dicitur, plerunque per spontaneam vacuationem sanari.

A *B aqua inter cutem habito*, in qua nimirum venę totius corporis a-

qua refertæ ſunt, quã ſubinde in vniuerſum effundunt corpus. *Si aqua è venis in ventrem*, & inteſtina, *defluxerit* per iecoris portas, eamq; ſubinde per aluum natura, aut medicus, naturæ miniſter, per purgantia medicamenta vacuauerit, *ſoluitur morbus*, in quo totius corporis moles, & vniuerſa caro inſtar ſpongiæ madida & laxa apparebat, atque adeò totũ corpus intumeſcebat.

APH. 15. ARGVM.

Diuturnũ aluí profluuiũ, vomitu à natura facto liberari & ſanari.

A *Longo* & diuturno alui profluuio *habito*, *ſpontaneus*, & à natura factus *vomitus ſuperueniens*, *morbum ſoluit*, ratione reuulſionis & retractionis humorum qui deorſum vergebant.

APH. 16. ARGVM.

Profluuium alui in pleuritide vehementi, & peripneumonia ſuperueniens, periculoſum.

A *Morbo laterali*, *vel peripneumonia habito*, vehementérque affecto, & vexato, *alui profluuium adueniens*,

malum, quippe ſignificant, tum iecur per conſenſum earum partium, quæ reſpirationi deſeruiunt, ita affici, vt propter imbecillitatem ad ſe trahere alimentũ & in ſanguinem conuertere non poſsit.

APH. 17. ARG.

Qua ratione lippitudo cõmodè curari poſsit, naturæ exemplo.

L*Ippientem, alui profluuio corripi, bonũ*, nam humores lippitudinem efficiẽtes ad inferiora transferũtur, & ſubinde per aluum vacuantur.

APH. 18. ARGVM.

Partium quarundam vulnera magna & profunda, lætalia eſſe.

V*Eſica diſciſſa*, & profundius vulnerata, lętale eſt ſignũ: nam vulnus quod ad eius interiora progreditur, coaleſcere non poteſt, eſt enim veſica neruoſa, tenuis, & exanguis, *aut cerebro*, profundè & ad ventriculos vſque vulnerato. lętale eſt, ſaltem omnes in eo ſenſus ita læduntur, vt ſi ſuperuixerit, ſtupidus ferè redditur vulneratus. *aut corde* vulnerato, lætale eſt. cordis enim vulnera inſanabilia exiſtunt, propter aſsiduum motum,

& quòd ſit ſpirituũ & vitalis caloris fons & origo, *aut ſepto*, quod diaphragma dicitur, nam ſi vulneretur, propter aſsiduũ motum coaleſcere nequit, adeóque mortem accerſit, *aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis.* hæc enim exanguia ſunt, vnde ſi vulnerantur, coaleſcere non poſſunt. *Aut ventriculo* vulnerato, lætale eſt magna ex parte: cibus enim & potio per vulnus exeunt, præcordia indureſcunt, & bilis ferè ſemper per os reiicitur. *Aut iecore* vulnerato, *lætale eſt*, nam huius vulnera plurimo ſanguine manãt, ideóque priùs ita vulnerati moriuntur, quàm vulnera agglutinari poſsint, & quæ potiſsimum in porta eius fiunt, ea enim parte venarum eſt multitudo.

APH. 19. ARGVM.

Quæ corporis partes præciſæ, neque augeſcant, neque coaleſcant.

QVum diſciſſum fuerit os, neque augetur, neque coaleſcit: quòd frigidum, ſiccum, & durum ſit, puerorum quidem oſſa coaleſcere poſſunt, quòd mollia adhuc ſint, *aut cartilago*,

præciſa

pręcisa, neque augescit neque coalescit ob rationem supradictam. *vel neruus, aut genæ, buccæque, particula tenuis, vel præputium*, ex semine omnes natæ particulæ, *Neque augetur, neque coalescit*, ob largę enim materiæ penuriam supradictæ partes non renascuntur. tantum enim nullibi aceruatim contentum semen reperias, quantum vnumquodque eorum qua deperdita sunt, ad instauratione indiget.

APH. 20. ARGVM.

Sanguinem à propria cauitate in aliã transfusum, corrumpi.

S I *in ventrem*, aut aliam quamuis cauitatem, *sanguis præter naturã effunditur* à propria cauitate, venisq; & arteriis, *Necesse est suppurari*, & corrumpi, vel nigrescere, vel liuescere, vel in grumos verti.

APH. 21. ARGVM.

Insaniam ab atra bile factam successu varicum vel hæmorrhoidon solui.

IN *insanientibus*, à bile atra, si varices, & venæ latiores, quæ in cruribus maximè visuntur, *vel hæmorrhoides super-*

uenerint, & ſanguinis profluuia ex hæmorrhoidibus, *Inſaniæ ſolutio* fit, pellente & deturbante natura in partes ignobiliores eos qui inſaniam efficiunt humores melancholicos & craſſos.

APH. 22. ARGVM.

Dolores à dorſo in cubitum delapſos ob ruptiones aliquas ſerta baſilica ſedari.

Væcunque rupta, & ab iis dolores quicunque prouenientes, *ex dorſo ad cubitũ deſcendunt*, ruptione ipſa facta, *venæ ſectio ſoluit*, nam materia illa euacuatur, quæ dolorem faciebat.

APH. 23. ARGVM.

Metum & mœſtitiã diu perſeuerãtia ſymptomata melãcholiã præ ſe ferre.

S*I timor*, de futuro aliquo malo, *&* *mœſtitia longo tempore perſeuerant*, nec à cauſa externa & manifeſta fiant, vt propter hoſtium incurſum, vel parentum & amicorum mortem inopinatam, aut propter recens patratum flagitium, *ex eo atra bilis ſignificatur*, & melancholia. hinc ars prædicit, quòd affecto cerebro melancholicus fiet, nam melancholicus humor

humor in ipſum fertur, ex quo ſpiritus turbantur, & variis motibus cõmouẽtur.

APH. 24. ARGVM.

Inteſtina tenuia profundè vulnerata non coaleſcere.

SI *quod inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit*. hic Apho. ſuprà expoſitus eſt, nimirum Apho. 18. huius ſectionis.

APH. 25. ARGVM.

Bonum eſſe, vt corporis omne malũ à nobilioribus partibus, & ab exterioribus, ad ignobiliores atq; exteriores vertatur, Eryſipelatis exemplo.

ERyſipelas, & aliud quodcũque corporis malũ, *ab exterioribus*, & ignobilioribus partibus, *verti ad interiora*, vt ad partes principes & nobiliores, *non eſt bonum*, quin vitæ periculum adfert. nam quicquid eſt illorum humorum à quib⁹ eryſipelas naſcitur, ad partes principes, vt cor, iecur, cerebrum, propellitur & protruditur. *Ab interioribus autem ad exteriora* conuerti' eryſipelas, & aliud quoduis malum interius effuſum, *bonum*

eſt,euocatur enim ad ſuperficiem cutis ſuperfluus & malignus humor.

APHOR. 26. ARGV.

Delirium ſuccedere ardẽtibus febribus. in quibus tremores fiunt.

Q*Vibus in febribus ardentibus*, quarum cauſa intra vaſa eſt, *tremores fiunt*, tranſlatis nimirum humoribus noxiis à venis ad neruos, *iis delirium ſuccedit*, læſo per conſenſum cerebro. hoc autem delirium, non tantùm prius malum non ſoluit,& hominem liberat,ſed eo etiam peius & periculoſius exiſtit: nam quæ ſuccedunt morbis, eorúmque conſtitutionem non ſolunnt,hominẽ non prorſus liberant.

APH. 27. ARG.

Confertas euacuationes lætales eſſe, exemplo ſuppuratorum,& aqua inter cutem laborantium.

Q*Vicunque ſuppurati*,nimirum pus inter pulmonẽ & thoracem contentum habentes, *aut aquam inter cutem patientes*, *vruntur*, *aut ſecantur*, vt Hyppocratis tempore ſolenne erat. *ſi pus*, quod in thoracem proruperat, *aut*

aqua

gnas varices nõ fieri, aut si succedãt, iis capillos denuo nasci.

Q*Vicunque calui fiunt*, & capillorum defluuio laborant ob malum aliquod, veluti propter alopeciã aut ophiasim, *iis magnæ varices non fiunt*, quòd tum vitiosi humores ad caput & nõ ad crura ferantur. *Quibus verò caluis*, & capillorum defluuio laborantibus, *varices magnæ superueniunt, hi rursus capillati fiunt*. nam vitiosi humores, qui antea radices capillorũ corruperant, tunc ad crura transferuntur.

APHOR. 35. ARGVM.

Tussim ratione aquæ inter cutẽ prouenientem, malam esse.

A*Qua inter cutem laborantibus tußis superueniens*, ratione quidẽ ipsius aquæ inter cutem, non ratione distelationis cuiusdã à capite, aut fumi, aut pulueris, *malum* est, quippe humorem aquosum ita adauctum significat, vt iam asperam arteriam occupet, atque adeò suffocationis periculum immineat.

APH. 36. ARGVM.

Difficultatem vrinę ob inflammatio-

nem, aut plenitudinem factam venæ sectionem soluere.

D*Ifficultatem vrinæ*, ob inflammationem aut plenitudinem factam, *vena secta iuuat, secare verò interiores* oportet, eam potissimum quæ in cruribus est, poplitis nimirum vena, aut malleorum, ea enim magis è directo est.

APH. 37. ARGVM.

Mala ad exteriora corporis conuerti bonum esse, exemplo anginæ.

A*B angina* vehementiore *habito*, & correpto, *si tumor fiat in collo*, & extrà in ceruice appareat, *bonum est*, ab internis enim ab externa humores noxij transferuntur.

APH. 38. ARGVM.

Occultos, & in profundo corporis existentes cancros, non esse curandos.

C*Ancros occultos omnes*, in profundo nimirum corporis existentes, nec in superficie apparentes, *melius est non curare*, siue medicamentis, siue sectione venæ, siue vstione, quòd ita magis irritentur, & vlcera ad cicatricem

per-

perduci non posint. *curati enim citò pereunt*, obsequentia symptomata admodum periculosa. *non curati verò longius tempus perdurant*, placandi igitur potius, ac mitigandi medicamentis dolorem sedantibus, saniemque eluentibus.

APH. 39. ARGVM.

Expletionem & vacuationem causas conuulsionis esse præcipuas.

C*Onuulsio*, quæ videlicet primogenium est malum, non quæ per consensum partis alicuius accidit, *fit vel ex repletione*, quando nimirum nerui implentur crassa & glutinosa materia, & oppleti intenduntur, atque demum ad sua principia contrahuntur. *vel inanitione*, ob nimiam videlicet siccitatem, quæ & ipsa neruos exiccans, eos ad sua principia contrahit, ob id conuelluntur. *Ita verò & singultus* ex repletione & inanitione fit.

APH. 40. ARG.

Qui Hypochondriorum dolores à febre succedente sanari posint.

Q*Vibus dolor circa ilium fit*, & hypochondrium, *absque inflammatione*, ſed vel obſtructione vel ſpiritu flatulento, vel inæquali intemperie frigida, *iis febris superueniens morbum ſoluit.* quippe febris craſſos humores oſtructionem efficientes, diſſoluit & extenuat, flatus diſcutit, atque intemperiem frigidam corrigit, & ad æqualitatem perducit.

APH. 41. ARG.

Pus in aliqua corporis parte natum, occultari poſſe duabus de cauſis.

Q*Vibuſcunque ſuppuratio in corpore*, corporiſque aliqua parte, *non innoteſcit* abdita, *iis ob craſsitudinem vel puris, vel loci, non innoteſcit.* ſi enim pus craſſum fuerit in profundo ma nens, nunquam ad circunferentiam mouetur, nec tumorem excitat, qui nos puris latentis illic commonefacere queat. ſic quoque cutis ipſa, ſub qua pus coaceruatur, ſi craſsior & denſior fuerit, vt eſt ea quæ in calcaneo exiſtit, in tumorem attolli non poteſt, ideoque nos latet,

tet, quanquam dolore, & febre idipſum deprehendere liceat, iuxta Aphoriſmum 47. lib. ſecundi.

APH. 42. ARGVM.

Hepatis duritiem regio morbo ſuccedentem malum præ ſe ferre.

M *Orbo regio laborantibus*, de quo Aphoriſm. 62. & 64. ſectionis quartæ, *ſi fiat hepar durum, malum.* nam durities hęc vel inflammationem, vel durum tumorem in iecore eſſe ſignificat, quorum vtrunque malum & læ tale eſt.

APH. 43. ARGVM.

Lienoſos â breui inteſtinorum difficultate correptos liberari, à longa vt plurimum mori.

Q *Vicunque lienoſi*, nimirum in liene tumorem habentes, ex melan cholico humore natum, à *difficultate inteſtinorum capiuntur*, breui à morbo liberari poſſunt, quòd per eam vacuentur humores craſsi, & melancholici lien obſidentes, *his ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum aqua inter cutem* adu nit, nam iecur larga & multa euacuatio-

ne debilitatur, & refrigeratur. *aut lenitas inteſtinorum aduenit.* nam inteſtina lædun tur à tranſitu vitioſorum humorum, & vis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur. vnde & ventriculus coaffiicitur, *& moriuntur*, proſtrato ventriculi robore.

APH. 44. ARGVM.

Poſt vrinę ſtillicidiũ ileo correptos mori, febre verò prehenſos nõ itẽ, ſed euadere, ſi ſatis vrinæ tum effluxerit.

QVibus ex *ſtillicidio vrinæ*, quod ex crudis & frigidis humorib⁹ natũ eſt, *ileos*, ſiue voluulus, *ſuperuenit, in ſeptẽ diebus pereunt*, propter immenſos quos ileos excitat dolores, & quòd vrina retinetur. nequeũt enim duobus maximis malis obſiſtere, quare proſtrata virtute malorum ipſorũ violentiâ moriuntur, *niſi febre ſuperueniente ſatis vrina fluxerit.* nam febris ſua caliditate humores craſſos con coquit & extenuat, vt ſubinde commodius per vrinæ meatus vacuari poſsint.

APH. 45. ARGVM.

Vlcerum diuturnorum cauas cicatrices fieri.

Vlcera

V*Lcera quæcunque annua sunt*, quęque per annum integrum durant, *aut etiam diuturniora, os abscedere est necessarium*: nam cum hæc ipsa sint maligna, necesse vt non tantum caro ipsa, verumetiam os quod carni subiectum est, corrumpatur & abscedat, *& cicatrices cauas* fieri necesse est propter os deperditum: eo enim corrupto aliud regigni non potest.

APH. 46. ARGVM.

Ante pubertatem gibbos ex asthmate aut tussi factos, citò mori.

Q*Vi gibbi ex asthmate* spirandique difficultate *aut tussi fiunt ante pubertatem, moriũtur*, & citò intereunt, quippe thorax in iis malè affectus non potest cum corde & pulmone augeri. quum igitur pulmo vnà cum corde in gibbis istis augeatur, locus verò continens minor efficiatur, necessè est breui tempore tantam fieri spiritus difficultatem, vt homo citò intereat.

APH. 47. ARGVM.

Vere vacuantibus præsidiis vtendum.

Q*Vibuſcunque* adhuc ſanis, ægrotaturis tamen niſi vacuentur, *venæ ſectio* ſanguiniſque detritio cõuenit, ob vaſorum plenitudinẽ, *vel medicamentum purgans conuenit*, quòd humores habeant corruptos & mala qualitate affectos, *hos Vere* vernóque tẽpore *purgare vel venam incidere oportet*. Vernum enim tempus cum temperatum ſit, ad ſanguinis miſſionem aut purgationẽ aptiſſimum exiſtit. non enim tum calor eſt qui corporis faciat diſſolutionem, neque frigus humorum concretionem afferens, non inæqualitas vires perturbans.

APH. 48. ARGVM.

Diſenteriam lienoſis ſuccedentem, bonum præ ſe ferre.

L*ienoſis*, lienémque prædurũ habentibus, *difficultas inteſtinorum ſuperueniens*, non tamen diu perſeuerans, *bonum*: nam melancholicus humor lieni infuſus effunditur, & ad exitũ per inteſtina de liene tranſmutatur.

APH. 49. ARGVM.

Perfectæ ſolutionis inflammationum podagricarum terminus exprimitur.

Quicunque

Vicunque morbi podagric fiunt, materia ad articulos pedum decumbente, *hi ſedata intra quadraginta dies inflammatione*, fluxione ad articulos decumbente facta, *finiunt*, modo medicus omnia probè adminiſtrauerit, & æger illi obedierit, nullo enim prędictorum aberrante, fieri non poteſt quin intra quadrageſimum diem finiatur podagrica inflammatio.

APH. 50. ARGVM.

Febrem biliſque vomitum ſuperuenire vulnerato cerebro.

Vibuſcunque præciditur & profundè vulneratur *cerebrum* cerebrique ſubſtantia, *his neceſſe eſt febrē* ſuperuenire, propterea quòd cerebrum pars princeps exiſtẽs, inflammatione afficiatur, magnam cum corde per arterias colligantiam habens, *& bilis vomitum ſuperuenire* neceſſe eſt, propter conſenſum ventriculi cum cerebro.

APH. 51. ARGVM.

Apoplexia correptos intra ſeptimum diem mori, niſi febris eos corripiat.

Vicunque ſani illæſas adhuc actiones omnes habentes *dolore capitis* intenſo *repente capiuntur, & ſtatim muti fiunt*, actionibuſque voluntariis deſtituuntur, *& ſtertunt*, vt ob id anhelitus impediatur, neque liberè exeat, *in ſeptem diebus pereunt*, quippe apoplectici efficiuntur, *niſi febris* ſatis valida *apprehenderit*, quæ ſpiritꝰ flatuoſos, & pituitoſos humores diſſoluat & extenuet.

APH. 52. ARGVM.

Oculorum cādidum commiſſis palpebris apparēs, exitium præ ſe ferre.

Portet verò medicū, qui quid futurū ſit ægrotis, prædicere perfectè velis, *conſyderare oculorum in dormientibus ſuſpectiones*, & quomodo oculi dormientium maneant. *nam ſi quid album* & candidum *cōmiſsis palpebris ſubinſpicitur* per ſomnū ipſum, *neque ex alui profluuio* à natura facto, *aut medicamenti potione iſtud contingat*, aut alia immodica vacuatione, *malum eſt ſignum & lætale valde*. hoc enim ſymptoma extremam imbecillitatem palpebras mouentis facultatis portendit.

APH.

APH. 53. ARGVM.

Deliria ſecura, & contrà periculoſa exprimuntur.

D *Eſipientiæ quæ cum riſu fiunt, ſecuriores* minuſque periculoſæ, quòd nimirum à ſanguine parum aduſto, aut ſola caliditate ſine vitioſo humore procreentur & concitentur, *quæ verò cum ſtudio* & ſerio accidunt, *periculoſiores*, quòd à prauo humore genitæ ſint, nimirum ab atra bile, quæ ex flaua bile ſuperaſſata proſilit.

APH. 54. ARG.

Spirationes luctuoſas in acutis morbis qui cum febre affligunt, malas eſſe.

I N *acutis paſsionibus* ſæuiſſima ſymptomata habentibus & citò finientibus, *quæ cum febre ſunt*, ac ea affliguntur, *luctuoſa ſuſpiria*, quæ in medio ſui interrumpuntur & luctui ſimiles exiſtunt, *malum*: quippe muſculorum & neruorum præ ſe fert duritiē, vel virium imbecillitatem, vel dolorificum aut cõuulſorium aliquem affectum.

APH. 55. ARGVM.

Podagricos morbos vere & autũno magna ex parte excitari.

Dolores *podagrici*, atque adeò articulares, *vere* magna ex parte mouentur, quippe vere mediocriter calido existente, materiæ per hyemem antea congestæ fit effusio, & à validioribus partibus ad imbecillas detruditur. *Et autumno magna ex parte mouẽtur*, ob vitiosos nimirum humores in æstate propter fructuum esum coaceruatos, ac tum decumbentes ad partes imbecilliores. Deinde ob autũni inæqualitatẽ, quæ horum aliorumque multorum morborum causa esse solet.

APH. 56. ARGVM.

Mutationis melancholicorum morborum quatuor modos esse periculosos.

In morbis melancholicis ad hæc & has sequẽtes partes periculosi decubitus sunt: *stuporem* enim *corporis* siue apoplexiam significant, si ad cerebri ventriculos deferuntur, *vel conuulsionem*, si ad neruos, *vel furorem*, si ad sub-

stantiam

ſtantiam cerebri aut membranas, ſupra modum aduſti aut putrefacti humores melãcolici tranſlati fuerint, *vel cæcitatem ſignificant*, ſi ad oculos prædicti humores decumbant.

APH. 57. ARGVM.

Apoplexiam à melancholia ortam à quadrageſimo vſque ad ſexageſimum annum fieri.

A *Poplexiæ autẽ ex* melancholia ortæ, *fiunt maximè à quadrageſimo anno*, qua ætate melancholia plurimum in corporibus noſtris abundat, *vſque ad ſexageſimum*. fit autem ob atram bilẽ ventriculos cerebri ſua craſſitie obſtruentem.

APH. 58. ARG.

Omentum extra corpus exiens putreſcete.

S I *omentum*, quæ membrana eſt multis venis, arteriis, & neruis intertexta, ventriculo inſidens & veluti ſupernatans, innatumque eius calorem fouens, Græcis dicta Epíploon,

procidat, & extra corpus exeat, vulneratum *necessariò putrescit*, nam aeri ambienti expositum facilè putrescit. adeóque putrefactioni obnoxium est, cum reductum & repositum fuerit, ideo pars eius quæ nudata est, nigra potissimum & liuens, resecāda amputandaque venit.

APH. 59. ARG.

Causam exponit cur in diuturna coxendice, coxa è sua cauitate exeat & rursus ingrediatur.

Vibuscunque à coxendicum dolore grauissimo *molestatis excidit coxa* coxæque articulus, *& rursus incidit*, ita vt facilè os exeat, & in idem relabatur, *his mucores superueniunt*, humores nimirum pituitosi, qui ligamenta articulationis humectant & laxiora efficiunt.

APH. 60. ARGVM.

Quid sequatur crebrum articuli coxæ propter mucoris multitudinem exitum & ingressum.

Qui-

Q Vibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diuturno atque grauiſſimo, *excidit coxa* coxæque articulus, ratione humidorũ humorum, qui illuc decurrerunt, *iis crus* tabeſcit, & atrophia laborat. Mucoris enim copia frigiditate ſua obſtructionem parit, atque adeò impedit ne nutrimentum illuc deferatur, *& claudicant* à diuturna coxendice vexati, *ſi non vrantur* candentibus ferramentis. Nam vſtio mucorem illapſum abſumit, & exiccat, ac ligamenta ſolidiora efficit, & in habitum naturalem reducit.

Aphor. lib. 6. finis.

quíque ſimul cum inteſtinorum leuitatibus nõ incœperat, ſed eas ſequitur, *ſignũ bonum*. Indicat enim calorem natiuũ qui antea prorſus languebat, nũc validiorem fieri, atque adeò cibum aſſumptũ in ventriculo aliquãdiu contineri, tanto nimirũ tempore, donec coctionis initiũ aſſumat, qui alioqui ſecundum omnes ſuas qualitates talis permanebat, qualis fuerat aſ-

Aphoriſmorvm Hyppocr. Lib. VII.

ARGVMENTVM.

Septimus hic liber omnino prognoſticus eſt, in quo de præſagiis ſanitatis aut mortis agit.

APH. I. ARGVM.

Quid frigiditas partium corporis extremarum in acutis morbis ſignificet.

IN *acutis morbis*, vt febribus continuis, iis præſertim quæ ardentes pernitioſæ vocantur, *frigus partium extremarum* abſque cauſa manifeſta, *malum*. ſignificat enim vehementiſſimam viſceris cuiuſdam, vt iecoris aut ventriculi, inflammationem, cuius calor inſtar cucurbitulæ ſanguinem ad ſe trahit, vnde exrremæ partes frigeſcunt ſanguine deſtitutę.

APH.

APH. 2. ARGVM.

Liuidã carnẽ propter os, quod ęgrotat malum portendere.

IN oſſe ægrotante, ob fracturam, vel putredinem, vel aliud quidpiam, *caro liuida*, & velut plumbea cineritiaque, *malum*, quippe immenſam oſsis putredinem atque adeò natiui caloris extinctionem præ ſe fert.

APH. 3. ARGVM.

Singultum à vomitu excitatum, & rubros oculos, malum præ ſe ferre.

Vomitum ſingultus, qui veluti ventriculi conuulſio eſt, ab expultrice A facultate noxia volentis detrudere excitatus, *& oculorum rubor*, vt vtrũque malum coniungatur, *malum*. Ille quidem non mediocrem cerebri vel ventriculi inflammationem ſignificat, accedunt oculi rubri materiam excipientes, & ſimiliter affecti.

APH. 4. ARGVM.

Horrorem à ſudure malum eſſe.

A *Sudore* iudicatorio, & die critico facto *horror* superueniens, *malũ*: quippe sudor ægrotantem à morbo non leuans, aut imbecillitatem facultatis excretricis, aut materiæ noxiæ copiam significat, ideóque hunc statim consequitur horror, vtpore vniuersis noxiis per sudorem non expulsis, sed iuxta sensiles partes hȩrentibus.

APH. 5. ARGVM.

A furore, difficultatẽ intestinorum, vel hydropem, vel vehementem mentis alienationẽ, bonum præ se ferre.

A *Furore* & mania *difficultas intestinorum* si aduenerit, bonum, nam signũ est noxios humores à capite ad inferiora, vt ventrem & intestina, transferri, *vel aqua inter cutem* si aduenerit, bonum, quòd materia quȩ maniã efficiebat, ad iecur decurrat, *vel mentis alienatio, bonum*, significat enim naturam in hoc esse, vt noxios humores iam concoctos paulò pòst iudicationem euacuet.

APH. 6. ARGVM.

In morbis longis fastidium cibi, malum.

In

I N *morbo diuturno*, cuiuſcunque generis hic ſit, *faſtidium cibi* appetituſque proſtratio, *& deiectiones ſynceræ*, *malum* illud facultatis concoctricis imbecillitatem præ ſe fert, qua imbecilla exiſtente, nutriri corpus haud poteſt, ſed quotidie imbecillius fit, ideóq; virtus imbecilla ad finem morbi diuturni ꝑdurare nõ poteſt, hæ nullos humores aquoſos ſibi permixtos habentes, omnẽ natiuam humiditatem à febrili calore eſſe exuſtam ſignificant.

APH. 7. ARG.

Rigorem & deſipientiam à larga vini potatione malum portendere.

E X *multa potatione* vini, nõ aquæ, *rigor & deſipientia*, *malum*. ille natiui caloris à multa vini potione extinctionẽ ſignificat: hæc per ſe quidẽ nõ admodum magni momenti malum præ ſe fert, verùm rigori adiuncta omnimodam pernitiem minatur.

APH. 8. ARGVM.

Quæ ſymptomata ſeqnantur ſuppurationem in ventriculum factam.

Tuberculi intus, ipſóque in ventriculo, *ruptione* facta *exolutio*, commune ſymptoma omnium ruptionum euenit, quòd cum pure affatim exeunte, vitalis ſpiritus excernitur, *vomitio*, quæ ſolam hic in ventriculum factam ruptionem conſequitur, *aut animi defectio fit*, quòd vitalis ſpiritus ſimul cum pure excernitur.

A

APH. 9. ARGVM.

Delirium aut conuulſionem à larga ſanguinis profuſione accidentem, malum.

Profluuio ſanguinis, à quacunque parte illud ſit, *deſipientia ac conuulſio, malum*. quippe defectum & ſiccitatem corporis magnam, viriumque cerebri imbecillitatem ſignificant.

A

APH. 10. ARGVM.

Vomitum, aut ſingultum, aut conuulſionē aut delirium ab ileo, malum portendere.

B ileo, grauiſsimo morbo & ſymptomata ſæuiſsima habente, *vomitus*, exitiale ſignum eſt. fit autem ipſo inteſtino phlegmone laborante, nam

A

nec

nec pondus, nec acrimoniá tolerat excrementorum, eoq; expellere ea quàm longiſsimè à ſe nititur, tandemq; excreticis facultatis impetu, vſque ad os excremẽta illa aſcendunt vomuntq; ægri, *ſingultus* quoque exitialis eſt, fit autẽ tum maximè vbi ſtercus ad ventriculũ vſque conſcenderit, morſum enim excitans ſingultum parit. *deſipientia vel conuulſio malum*, hæc autem exitialia duo ſigna accidunt propter conſenſum cerebri cum ventriculo.

APH. 11. ARGVM.

Peripneumoniam pleuritidi ſuccedẽtem malum portendere.

A *Morbo laterali inflammatio pulmonis, malum*, ſatis enim periculi à ſola pleuritide erat. ſuccedente ergo pulmonis inflammatione, maius eſſe malum neceſſe eſt, quòd tum pars noxiorum humorum à parte ignobiliore, coſtis nimirum, ad magis principem partẽ, pulmonem tranſferatur.

APH. 12. ARGVM.

Peripneumoniæ phreneticis ſuperueniens malum ſignificat.

A *Pulmonis inflammatione phrenitis, malum*, quòd nimirum altero manente, nouus ſuccedat morbus, vaporibus à pulmone ad cerebrum delatis.

APH. 13. ARGVM.

Conuulſionem aut diſtentionem febribus intenſis ſuperuenientem, malum ſignificare.

A *B æſtibus fortibus*, & febribus intenſis, *conuulſio, aut diſtentio, malum*. ſunt enim ex inanitione, quæ lætalia eſſe ſuprà abundè dictum eſt.

APH. 14. ARG.

Si ſtupor aut delirium accidit vulnerato capite, malum ſignum.

I N *capitis ictu*, & vulnere, *obſtupeſcentia*, & ſtupor, qui fit vbi apertis oculis manent vulnerati, nihilq; loquũtur, *& deſipientia, malum*, quippe vulnus ad cerebrum penetraſſe ſignificant.

APH. 15. ARGVM.

Puris ſputum à ſanguinis ſputo factũ, malum eſſe.

Sanguinis ſputo perſeuerante, *puris* A *ſputum*, *malum*: quippe pulmonis aut thoracis partis alicuius exulcerationem ſignificat.

APH. 16. ARGVM.

Tabem aluique profluuium, ſputo puris ſuccedentia, malum portendere.

Puris ſputo, quod potiſsimum à pulmone prodit, *phtiſis*, & tabes, *& fluxus*, alui nimirum aut capillorum profluuium, malum portendit. *Cum verò ſputum retinetur*, ob expultricem facultatē adeò imbecillam, vt pulmonem â pure expurgare non poſsit, *moriuntur*, quòd ſtatim à puris copia in pulmonibus coaceruata, reſpirationis itinere obſtructo, ſtrangulentur.

APH. 17. ARGVM.

Singultum à magna hepatis inflãmatione ortum, malum ſignificare.

N *hepatis inflãmatione* magna, quæque effatu digna ſit, *ſingultus* ſuperueniens, *malum*, quippe ob inflammationis magnitudinem in hepate factã, ventriculus in conſenſum rapitur.

APH. 18. ARGVM.

Ab immoderara vigilia conuulſionē, aut delirium, malum portendere.

IN *vigilia* immoderata, quæ corpus alioqui exiccat & vacuat, *conuulsio*, quæ ex siccitate est, *vel desipientia*, immodicæ quoque siccitatis ratione proueniēs, *malum*, atque adeò lætale.

APH. 19. ARGVM.

Osse denudato circunstantem carnē erysipelate deprehendi, malum.

IN *oßis exutione*, & denudatione, vel carnium & pellis priuatione, si superueniat *Erysipelas*, à sanguine & flaua bile calidioribus quàm oportet proueniens, *malum*, significat enim sanguinem calidiorem flauamque bilem confluere, quæ adiacētes partes sua acrimonia exedit & absumit.

APH. 20. ARGVM.

Erysipelati, putredo, aut suppuratio superueniens malum portendit.

B erysipelate putredo aut suppuratio, A *malum*. quippe malignum tū erysipelas, quòd non tantum in superficie existētes corpis ptes exulcerat, sed & profundiores depascitur, atque adeò

vlcus

vlcus putridum efficit, quod vndique ad partes paſcendo ſerpit.

APHO. 21. ARGVM.

Copioſam ſanguinis eruptionem, cũ periculo vehementem, in vlceribus pulſum ſequi.

Forti, & vehementi, *in vlceribus* A *pulſu*, qui fit ab arteria in vlceroſa parte exiſtente, cui phlegmone accedit *profluuium ſanguinis*, *malum*, duplici ratione, quòd vlceri coniunctam eſſe maximam inflammationem oſtendat, deinde quòd hæc ſanguinis eruptio non fiat niſi aperto arteriæ ore, à qua ſemel promanantem ſanguinem compeſcere difficile eſt.

APH. 22. ARGVM.

Diuturnum ventris dolorem, ſuppurationem ſequi.

Ventris, & omnium quæ in eo cõ A tinentur partium, *dolore diuturno*, ob inflammationem, vel abſceſſũ ex craſſa & glutinoſa materia facto, *ſuppuratio* fieri ſolet, quæ pernitiem minatur.

APH. 23. ARGVM.

Disenteriam biliosas deiectiones synceras sequi.

Diectione biliosa per inferna *syncera*, nulli aquosæ humiditati permixta, *difficultas intestinorum* sequitur, propter humorem qui suo transitu morsus erosiones & exulcerationes in intestinis efficit.

APH. 24. ARGVM.

Ossis capitis præcisionem delirium sequi.

IN *oßis*, capitis videlicet, *præcisione* facta per rem incidentem, *desipientia* superuenit, *si in vacuum apprehenderit*, & vsque ad cauitatem illam peruenerit in qua cerebrum continetur.

APH. 25. ARGVM.

Conuulsionem ab immodica purgatione lætalem esse.

EX *medicamenti* purgantis immodicè, *potione*, *conuulsio lætalis est*, significat enim siccitatem insanabilem.

APH. 26. ARGVM.

Partium extremarum frigiditatem vehementi ventris dolori superuenientem

tem

tem malum portendere.

IN *forti dolore ventris*, & partium quæ sunt circa ventrem, *partium extremarum frigiditas, malum*, quippe cum dolor vehemens non fiat nisi propter inflammationem insignem, quæ instar cucurbitulæ ad se sanguinem trahit, necesse est vt illum frigiditas extremarum partium sequatur, quæ malum non leue portendit.

APH. 27. ARGVM.

Tenesmum grauidæ mulieri accidẽtem, abortum facere.

M*Vlieri vtero gerenti si tensio*, & tenesmus, grauidas ad frequẽtes exurrectiones impellens, *superuenerit, facit abortum*, fœtumque excutit, ob consensum vteri cum recto intestino.

APH. 28. ARGVM.

Quæ corporis partes abscissæ, augescant coalescantque minus.

Vando os aut cartilago, aut neruus Q *abscinditur in corpore, neq; augetur, neq; coalescit*. abundè id expositũ est

ſuprà, Aph. 19. ſextæ ſectionis.

APH. 29. ARGVM.

Profluuium alui leucophlegmatiæ ſuperueniens, bonum.

Vi alba pituita detinetur, eaque aquæ inter cutem ſpecie, quæ leucophlegmatia dicitur, *ſi fortis ventris fluxus ſuperuenerit*, diuque durauerit, *à morbo liberatur*, eo quòd cauſam morbum efficientem vacuat. Idque verum erit, ſi excretrix virtus valida fuerit. ſi enim propter retentricis facultatis imbecillitatem alui profluuiũ accideret, mortem potius adferret.

APH. 30. ARGVM.

Pituitã defluere à capite iis, qui profluuio alui vexati, ſpumoſa habẽt excrementa.

Vibus in alui profluuiis excrementa ſpumoſa ſunt, & multas ampullas habent, ex commixtione humiditatis & flatus per multum, vt in mari fit, quando commouetur, *his à capite pituita defluit*. hæc verò cum ſit humor flatuoſus, minimè mirum, ſi in eius à capite in ventriculum motu ſpumoſa fiat.

APH.

APH. 31. ARGVM.

Vrinam craſsioris farinę ſpeciem referentem, diuturnitatem morbi ſignificare.

Vibuſcunque febricitantibus, in vrinis fiunt ſedimina, & hypoſtaſes, *veluti farina craßior, longam ægritudinem*, viribus robuſtis exiſtentibus, *fore ſignificant*, quippe materiam ſignificant craſſam, quæ exiguo tempore diſcuti non poteſt.

APH. 32. ARGVM.

Hypoſtaſes ab initio tenues, & ſubinde bilioſas, acutum morbum ſignificare.

Vibus autem bilioſa ſedimina, & flaua bile collorata ſunt, *ſuprà* & ab initio morbi, *tenuia*, & aquoſa cum fuerint, *acutum morbum ſignificant*, & breuem, nempe qui citò terminari debet.

APH. 33. ARGVM..

Inæquales vrinas vehementem corporis turbationem ſignificare.

Q*Vibuscunque vrinæ distantes sunt*, inæquales quoque & disiectæ, *his turbatio fortis in corpore fit*, quòd nimirum alicubi naturæ, alicubi causarũ morbosarum præ se ferant victoriam.

APH. 34. ARG.

Bullas in vrinis superstantes, flatuosum spiritum, adeoque renum morbum frigidum, & longum significare.

Q*Vibus in vrinis bullæ*, & ampullæ, *superstant*, & in vrinæ sup̃ficie cõsistunt, *morbum renalem*, & frigidum renum morbum, *& longum significant*, quippe frigidum omne solutu ac concoctu difficile existit.

APH. 35. ARG.

Pinguedinem in vrinæ superficie innatantem vniuersi corporis labem significare.

Q*Vibus* in vrinis *insidens* & supernatans *pingue*, & telis aranearũ simile, *ac simul totũ*, & confertim exit, *iis renum vitium*, nam renũ pinguedo nimio calore colliquatur, *& acutum* morbum *significat*, vehementem caliditatem, quæ in renibus pinguedinem colli-

colliquefacit,prænuntiantem.

APH. 36. ARG.

Nephreticis dolores circa ſpinę dorſiue muſculos obtinentibus abſceſſus accidere.

Q*Vibus autem morbo renali laborantibus*, longo & cognito, *prædicta accidunt ſigna*, vt ſi ſit craſſum & multum ſedimen, *doloréſque circa ſpinæ muſculos fiunt*, & diu perſeuerant, *ſi quidem circa loca exteriora fiant, abſceſſus quoque exterius*, & in muſculis extrinſecis, *futuros expecta. ſi verò dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abſceſſus expecta futuros interius*, & intrinſecis muſculis, vel in ipſis renibus.

APHOR. 37. ARG.

Quis ex ſanguinolentis vomitibus ſaluber, aut malus ſit.

Q*Vicunque euomunt ſanguinem*, ſine magna violentia, ſed ſponte profluentem, *ſi ſine febre quidem, ſalutare*: quòd nullum eſſe phlegmonē in eo loco vnde ſanguis fertur, ſignificat. *ſi verò cum febre, malum*. quippe tum inflammatio eſt quæ nō tam facilè curatur.

Curare verò hunc vomitum, qui fit sine phlegmone, oportet. *adstringentibus & refrigerantibus*, quippe hæc impetum sanguinis erumpentis cohibent ac reprimũt, suaque siccitate vlcera sanant.

APH. 38. ARG.

Eorum quæ ex capite in thoracem defluunt suppurationis terminus exprimitur.

Estillationes ex capite *in ventrem superiorem*, & thoracem, in quo pulmo continetur, *suppurantur*, ob loci caliditatem, *intra viginti dies*, vt iudicatorios. certè terminuũ hunc non transcendunt, sed in eo planè suppurantur, aut alio quodam decretorio die intra hunc dierum numerum contento, vt decimoquarto, decimoseptimo.

D

APH. 39. ARG.

SI *quis sanguinem minxerit*. abundè id expositum sectione quarta, Aphorismo 80.

APH 40. ARG.

Linguam subitò infirmam factam, aut aliquam corporis partem resolutam, melancholicũ humorem significare.

Si lingua

SI *lingua repentè incontinens fiat*, & adeò infirma, vt non poſsit articulatam efficere vocem, *aut aliqua pars corporis ſtupore elanguit*, reſolutáque fuit, & paralyſim paſſa, *tale eſt melancholicum.* quippe melancholicus humor ſua craſsitie, neruos, ſenſum, & motum deferentes à cerebro, obſtruit, atque adeò impedit ne vis ſenſitica, & motrix ad linguæ aliarumq; partiũ muſculos peruenire queat.

APH. 41. ARG.

S*I timor atque mœſtitia.* expoſitus eſt ſuprâ, Aphoriſmo 23. ſextæ ſectionis.

APH. 42. ARG.

Singultus immoderatę purgationi ſuperueniens, malus.

S*I ſenioribus*, quos iam imbecilliores, ætatis ratione, eſſe cõſtat, *ſupra modũ purgatis*, *ſingultus*, aut conuulſio, *ſuperuenerit, non bonum.* quòd immmodicam ſiccitatem ſignificet, quæ ſuſpecta eſt.

APH. 43. ARGVM.

Quæ febres ex calidæ aquæ balneo

vsum aliquem senserunt.

I febris non ex bile habeat, nec sit putrida, ephemera, vel ethica, *multa aqua calida affusa* per balneum, *solutio fit febris*. nam calor præter naturam remouetur, & totus corporis habitus sæpe refrigeratur.

APH. 44. ARG.

Mulierem ob naturæ imbecillitatem non nasci ambidextram.

M*Vlier ambidextra non fit* magna ex parte, nec manus æquè robustas habet, propter naturæ imbecillitatem.

APH. 45. ARG.

Qua ratione deprehendere liceat nũ suppurati, dum vruntur, aut secantur, ex morbo euadere queant, an non.

Vicunque suppurati, inter thoracem & pulmonem pus habentes, *vruntur*, ferro cadente, *vel secantur* inter quartam & quintam costam, *si pus purum fluxerit & album*, læueque & æquale, *euadunt*. significat enim naturam validã fuisse, & affectum pręter naturã deuicisse. *si verò subcruentũ, & fœ-*

culentũ ac fœtidũ, pus effluxerit, *pereunt* significat enim morbi victoriam, facultatumque casum, atq; adeò superasse has ipsas putredinem.

APH. 46. ARGVM.

Exemplo suppurationis, quæ in iecore excitatur, quod suprà dixit, confirmat.

Q *Vibus hepar suppuratum, aduritur*, suprà iecoris regionem, *si pus purum fluxerit & album, euadunt. In tunica enim*, & membrana, quæ peritonæum dicitur, iecori tenuius obductum, *pus continetur*, & iecoris substantia nihil patitur. *si verò qualis amurca*, & fæx olei, *fluat pereunt*, alteratricem enim facultatem imbecillam esse, & corruptionem vsque ad iecoris carnem & substantiam peruenisse significat.

APH. 47. ARGVM.

D *Olores oculorũ*, adulterinus, & ab alio insertus.

APH. 48. ARGVM.

A *Qua inter cutem laborans, &c.* suprà expositus, Aphorismo trigesimoquinto lib. 6.

APH 49. ARGVM.

Vrinæ ſtillicidij à frigiditate, & difficultatis à craſsis & glutinoſis humoribus prouenientis, curatio docetur.

V*Rinæ ſtillicidium*, à frigiditate proueniens, *& mingendi difficultatem*, à craſsis & glutinoſis humoribus flatuoſoque ſpiritu, *vini potio, & venæ ſectio ſoluit*, illa diſſoluens & diſcutiens ſanat, hæc inflammationem, ſi qua ſit, mitigans, modo virtus valida ſit.

APH. 50. ARG.

In angina noxios humores ad exteriora ferri, bonum.

B angina habito, & detento, *tumor & rubor in pectore*, vel collo, *ſuperueniens, bonum. extrà enim vertitur morbus*, & noxij humores à partibus internis, & nobilioribus, ad externas & ignobiles transferuntur.

A

APH. 51. ARG.

Cerebri corruptione incipiente, intra triduum ægrotantes perire neceſſe eſt.

Vibus cerebrum ſphacela:um eſt, & corrumpi incœpit, *in tribus diebus pereunt,* propterea quòd malum ſit grauiſsimum, parsque malè affecta, maximè princeps. *ſi verò euaſer.nt, ſani fiunt,* quippe vires eſſe robuſtas con ſtat, quæ corruptionem ſuperare poſſunt.

APH. 52. ARG.

Exprimuntur cauſæ duæ ſternutamenti, quod principium ſuæ generationis habet naturæ motum, ſpiritum flatuoſum ex capite excernere cupientis.

S*Ternutamentum* principium ſuæ generationis habens naturæ motum flatuoſum, ſpiritum è capite expellere apptẽtis, *fit ex capite,* propter ſequentes cauſas, *calefacto cerebro.* calor enim humores rarefacit, & in flatus conuertit, quos ſubinde natura per ſternutamentũ expellit, *aut humectato eo quod in capite inani,* humectata nimirum capitis parte inani, quæ ventriculi cerebri ſunt, aut id vniuerſum quod cerebrum ambit. *Aer enim,* & ſpuritus flatúſque, *intus,* cerebri nimirum ventriculis, *contentus,* extr

erumpit, vi expultrice excitata, *ſonat autem* flatuoſus eiuſmodi ſpiritus, *quoniam per anguſtum* narium meatum *ipſi eſt exitus*.

APH. 53. ARGVM.

Dolores iecoris citra febrẽ vehementes ſolui ſuccedente febre.

Vicunq; hepar circũdolent, à flatu, aut pituitoſa aliqua, materia in flatũ cõuerſa, idque citra febrẽ, *his febris ſuperue niens*, *ſoluit* *dolorẽ* flatus enim diſſoluit, & diſcutit obſtructionéſque liberat.

APHOR. 54.

Qvibus à venis ſanguinem mittere confert, *his verè venam oportet ſecare*. ſuprà expoſitus abundè, nempe 6. lib. Apho. 47.

APH. 55. ARG.

Naturam interdum pituitam, inter ſeptum tranſuerſum & ventrem concluſam, doloremque inferentem, per latentes vias ad venas, & ſubinde ab iis ad veſicam tranſmittere.

Vibus inter ventrem & septum, Q laxius nimirũ spacium, quod est infra septum transuersum, & intra peritonęum, quod iuxta abdomen est, *pituita reposita est*, & concluditur, *& dolorem adfert* sua tensione *non habens exitum*, postquam illuc delata est, *neque ad alterum ventrem* alteramque cauitatẽ transmitti potest: *iis per venas* & occultas vias *ad vesicam pituita cõuersa soluitur morbus*, expulsa per vrinas ipsa pituita.

APH. 56. ARG.

Iecur aqua impletum habentes, vtplurimum mori, præsertim si ad omenti regionem eruperit: iis quippe aqua venter impletur.

Vibus hepar aqua plenum & membrana extrinsecus idipsum Q ambiens, multas vesicas aqua plenas obtinent, *in omentum eruperit*, atque adeò in locum peritonæi, quod iuxta abdomẽ est, ipsa illa aqua effunditur, *iis venter aqua repletur*, totáq; adeò cauitas, quę infra thoracem est, & *moriuntur*, nisi naturæ ope aut medicamentorum admotione seruentur.

APH. 57. ARGVM.

Anxietudinem, oſcitationem, horrorem, curarí per vini cum æqua portione aquæ mixtionem.

A Nxietudo, *oſcitatio*, ab humiditate flatuoſa orta, *horror* à prauis humorib⁹, qui per cutem dimouentur, ortus, *Vinum æquali portione aquæ mixtum, potum, ſoluit ægritudinem*, quippe moderato ſuo calore in corpus digeſtũ, eas quæ infeſtant materias, & mala, quæ hęc efficiunt expellit & vacuat, reliquũque temperat.

APH. 58.

Q *Vibus in vrinario meatu tubercula fiunt, iis ſuppuratione facta & eruptione ſoluitur dolor*. ſuprà quoque Aphoriſmus hic expoſitus eſt, Aph. 82. ſectionis. 4.

APH. 59. ARG.

Eos fieri mutos quorum cerebrum ob cauſam aliquam externam concuſſum eſt.

Q *Vibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit*, nimirum ob caſum ex alto loco, aut ictum capi-

tis

tis, *necesse est statim mutos fieri*, vocémque amittere, adeóque omnes alios motus vo luntarios.

APH. 60. ARGVM.

Famem adhibendam pituitosas & molles carnes habentibus.

C *Orporibus carnes habentibus humidas*, pituitosas nimirum & mol les, *famem adhibere conuenit*, non omnimodam aut diuturnam ciborũ detractionem, sed mediocrẽ, & quæ ad carnium humiditatem corrigendã sufficiat: *fames enim corpora siccat*, idque per accidens, nam calor natiuus non habens quo pascatur, carnium humiditatem exiccat.

APH. 61.

V *Bi in toto corpore mutationes fiunt, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.* est & Aphorismus iste fusè suprà enarratus, Aph. 40. lib. quarti.

APH. 62.

S *Vdor multus, calidus, vel frigidus, semper fluens, humorem abduci, robusto quidem suprà, debili verò*

infrà significa. est & hic Aphorismus per alium quendam adiectus, cuius initium ab Aphorismo 42. sectionis quartæ nihil distat.

APH. 63.

SI quis cibum febricitanti dederit, vt sano robur, sic laboranti morbus. inter adulterinos & suppositios est hic quoque Aphorismus, absurda quędam continens.

APH. 64. ARGVM.

Quæ sanis similia, bona esse, quę iisdem dissimilia, mala.

QVæ per vesicam excernuntur, siue vrina sit, siue sedimentum, euerrema, aut nebulæ, *inspicere oportet, si talia qualia sanis excernuntur: quæ igitur minime similia sunt his, hæc morbosiora* omnino morbosissima, pro recessu à naturali similitudine magno aut paruo, *quæ vero sunt sanis similia* in vrinis, *hæc minimè morbosa*.

APH. 65. ARGVM.

Nullum aut paucum esse morbum pro ramentorum multitudine aut paucitate.

Et

E T quibus deiectiones si stare permiseris in vase in quo sunt excretæ, *& non moueris*, *veluti strigmenta* & ramenta, *subsistunt* in fundo vasis: *& si pauca* sunt strigmenta: *paucus est morbus*, & non intensus : *& si multa* sunt strigmenta, *multus* & intẽsus est morbus: *his confert alui purgatio*, *quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones* & cibos per modum potus acceptos, *quanto plures dederis*, *tanto magis nocebis*, quòd hę facilè in prauum humorem vertantur.

APH. 66.

E *Xcreationes in febribus non intermittentibus*, *& cætera*. expositus est suprà Aphorismo quadragesimoseptimo, lib. 4.

APH. 67.

C *Orpora oportet vbi quis purgare voluerit*, *& cætera*. Est & expositus hic Aphorismus libro secundo, Aphorismo nono.

APH. 68.

S *Omnus*, *vigiliæ*. suprà quoque expositus Aphorismo tertio, libro secundo.

APH. 69.

I N *febribus non intermittentibus, & cætera*.abundè hic quoque enarratus suprà sectione 4.Aphorismo 48.

APH. 70.

I N *febre non intermittente, & cætera*.antea quoque expositus, sectione quarta, 49.Aph.

APH. 71. ARG.

Pituita alba toto corporis habitu redundantes,facilè in leucophlegmatiam & hyposarcam incidere.

A *Pituita alba*,quæ per totum corpus abundat,*aqua inter cutem superuenit:*non quidem omnis, sed quæ à Gręcis Leucophlegmatía,aut Iposárca κai anasárca dicitur.

APH. 72. ARGVM.

Diuturno alui profluuío & in quo deiectíones sunt syncerae, difficultatem intestinorum succedere.

A *B alui profluuio* diuturno, & in quo deiectio syncera & biliosa est, *difficultas intestinorum* sequitur,bilíosi enim humores paulatim abradunt

dunt

dunt inteſtina, donec in profundum ſubeunte eroſione, prorſus exulcerentur.

APH. 73.

A *Difficultate inteſtinorum, & cætera.* Pars eſt Aphoriſmi 43. ſectionis 6.

APH. 74. ARGVM.

Et carnis & oſſis corruptionem, oſſis abſceſſum ſequi.

A *Corruptione* & putrefactiõe *abſceſsus oſsis* ſuccedit, nam ſi corrumpitur caro, corruptio ipſa ad oſſa vſque procedit, quæ & ipſa læſa ſubinde abſcedere ſolent, quod magis accidit ſi in ipſo oſſe corruptio cœpit.

APH. 75.

A *Sanguinis vomitu tabes, & cætera.*

APH. 76.

A *Sanguinis ſputo, puris ſputum, & cætera.* Hi duo Aphoriſmi re vera ſuppoſititii ſunt, multáque ab Hippocratis placitis aliena continent. cũ verò ſuprà abunde ſint expoſiti, non abs re eorum interpretationem prætermittemus.

APH. 77. ARGVM.

Vrinas, deiectiones, ſudores, & alia eiuſmodi excreta diligenter à medico conſideranda.

Qualia *fuerint veſicæ aut alui excrementa* conſiderare oportet, nimirum quam habuerint qualitatem, & quãtum ipſa abundauerint, *& ex carnibus*, vt ſunt ſudores, *& ſicubi alibi à natura corpus exierit*, vt per nares, per aures, per oculos, per vterum, per hæmorrhoidas. *ſi* enim *parum* excernitur, & paruus fuerit exceſſus, *paucus eſt morbus*. *ſi multum* excernitur, & multam habeat affectionem, *multus* eſt morbus, *ſi valde multum* qualitate & quantitate excernitur, *lætale eſt*.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

IO. LYGAEVS BENE-
VOLO LECTORI.

NOua & inſolita huius octaui libri editione fortaſſe moueberis candide Lector: hunc ipſum tamen ſeptem aliis Aphoriſmorum libris ſuũ numerum nõ auferre facilè animaduertes, vbi perlegeris. Certè verorum Hyppocratis Aphoriſmorum ſeptem ſolùm ſunt libri, quos Galenus integrè eſt interpretatus: prętermiſit tamen non paucos, quos ab Hyppocrate, nec editos, nec in ordinem redactos putauit. Eos omnes in ordinem primùm Muſa coniecit, & in Latinam linguam cõuertit. Ex his octauum librum confecimus, & expoſitionem noſtram qualemcunque ſubiecimus. Cæterùm in vetuſtis Græcis codicibus ante ſequentes Aphoriſmos ſcriptũ videre eſt *énteuthen oi nothoi*: hoc eſt nothi & ſpurii iucipiunt Aphoriſmi. An verò Hyppocratis ſint, nécne, tibi diiudicandum relinquo.

Apho-

Aphorismorum Hypp. Lib. VIII.

ARGVMENTVM.

Libri huius octaui & vltimi certa intentio aßignari non potest, quòd varii sint & distincti Aphorismi: ferè tamen omnes ad eam medicinæ partem, quæ futura prædicit, reducuntur.

APH. I. ARGVM

Quadragenarios phrenitide prehensos raro sanari.

QVi *supra quadraginta annos*, nimirū in cōstāte, media, & declinante ętate constituti, *phrenitici fiunt*, ob biliosam materiam superabundantem, *nō omnino sanantur*, raróque cōualescunt, & vt alii legunt, ou pány sózontai, id est non adeò seruantur: *minus enim periclitantur quorum naturæ & ætati morbus sit conueniens,*

niens, vt abunde expoſitum eſt ſectione ſecunda Apho.34.

APH. 2. ARGVM.

In morbis oculi illachrymantes quid ſignificent.

Q*Vibuſcũq; in morbis oculi ex cauſa*, de induſtria nimirũ, voluntariè, & cõſilio, *illachrymant, bonum*, vel vt alij leguut, *of κακον*, non malũ, *quibuſcũq; autem ſine cauſa*, & non ex arbitrio, neq; voluntariè, *malum*, ob cauſas Aph. 52. ſectionis. 4. expoſitas.

APH. 3. ARGVM.

In febribus quartanis eruptionẽ ſanguinis è naribus, malum portendere.

Q*Vibuſcũq; in quartanis febribus*, ab atræ bilis humore putreſcente genitis *ſanguis è naribꝰ defluxerit* largè, copioſè, & affatim, *malum eſt*, quòd vires proſternãtur, ob effatu dignũ effluxũ ſanguinis, qui bilis atræ frenũ dicitur.

APH. 4. ARGVM.

Magnos & repẽtinos ſudores in decretoriis diebus factos periculoſos.

S*Vdores in diebus iudicatoriis, vehemẽtes & celeres ſi fiant, periculoſi*, nam

cùm eorũ ſint, quæ corpus noſtrum euacuant, repentè & immodicè prodeuntes, vires planè deiiciunt. adde naturã repentinas, & ſubitas mutationes tolerare non poſſe. *Præſertim* ſudores ſunt periculoſi, *qui ex fronte tanquam guttæ & fiſtulæ ſalientes pelluntur*, ſignificant enim magnã materiæ copiam in capite eſſe, aut in ipſum influere, *frigidiq;* *valde atq; multi*, potiſsimũ periculoſi, *neceſſe eſt enim talem ſudorem multa vi, & labore, & longa expreſſione exire:* hi certè in acuta febre mortẽ, in mitiore verò vbi vires adhuc conſtant, morbum diuturnum fore ſignificant.

APH. 5. ARGVM.

Depreſsionẽ alui in diuturno morbo malum portendere.

P*Oſt longum morbũ*, *ventris* inferioris, vtpote partiũ ad imum ventrẽ attinentium, *depreſsio*, degrauatio, & cõcidentia, *malum*, quippe calor natiuus in his imbecillus eſt, neq; proba fit coctio, neq; ſanguificatio, vnde vix vnquã ægri ad ſanitatem reuocantur.

APH. 6. ARGVM.

Vlcera incurabilia, quæ nec ferro,

nec,

nec igne ſanantur.

Vacũq; vlcera putrida, mali habitus, & exedentia, *medicamẽtis*, tum exteriùs admotis, tũ intrò aſſumptis, *non curantur*, obſeruata rationali methodo *ferrũ curat*, & inciſio. *quæ verò ferro non curantur*, perſeuerante adhuc mala qualitate putrida, *ignis curat*, putrentes qualitates (quæ in aliquibus noſtri corporis partibus inſunt) puriores reddens, *quæ verò igne non curantur*, putredine nec euicta, nec domita, *ea exiſtimare oportet immedicabilia*, ob id à curatione medico deſiſtendum, præſentiente futura, vt crimine vacet internetionis.

APHOR. 7.

TAbes à decimo octauo anno vſque ad trigeſimum quintũ potiſsimum gignũtur. expoſitus eſt ſectione. 5. Aph. 9.

Sequentiũ Aphoriſmorũ velut inſcriptio.

ταῦτα μὲν οὖν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ὀξέσι σημειοῦσθαι χρὴ,

ὁπότε μέλλει ἀποθνήσκειν καὶ ὁπότε σωθήσεσθαι. *Hoc eſt*

Hæc quidem in acutis febribus obseruentur, vti si quis moriturus, vel euasurus sit, dignoscamus.

APH. 8. ARGVM.

Linguã minimè nigram & aridã, ęgritudinẽ nõ multũ vehemẽtẽ ostendere.

L*Ingua nigra atq; cruenta*, ob vehemẽtem eorum partiũ, quæ circa os sũt siccitatem, *cũ quid horum signorũ abest*, potißimũ in febribus, *malum validum non est*, neq; periculosum, *& imbecilliorẽ luctum significat*, atq; adeò mitiorẽ febrẽ.

APH. 9. ARGVM.

Dextrum testem frigidum & cõuulsum, mortem significare.

T*Estis dexter* sinistro calidior, ob eam, quam cũ hepate habet, affinitatem, *frigidus*, quòd ad ipsum neque sanguis, neque spiritus transmittantur, *conuulsusque*, ob neruum qui contrahitur & conuellitur, *mortiferum est*.

APH. 10. ARGVM

Nigredinem, frigiditatem, cõtractionem, præter febris initium mortem significare.

Vngues

V Ngues *nigri*, ob naturalis caloris mortificatione͂, *digiti pedum frigidi*, ob eiuſdem caloris extinctionem, *demiſsi vel proclinati*, & contracti ob conuulſione͂ ex inanitione, *morte͂ proxima͂ eſſe oſtendu͂t*, ob cauſas ſuperiùs adductas.

APH. 11. ARG.

Digitoru͂ poſtrema frigida, mortem proximam oſtendere.

Q *Vòd etiam digitorum* manus ipſius *extrema frigida* ob caloris natiui extinctionem *præ ſe ferunt* mortem.

APH. 12. ARG.

Labia præter naturam liuida, reſoluta, & frigida, mortem portendere.

E T *labia liuida* ob vitiu͂ imbecillitate͂, *reſoluta*, *inuerſa*, co͂tortaque *& frigida ſi ſint*, *mortiferum eſt*, ob natiui caloris ſuffocationem.

APH. 13. ARGVM.

Permulta futuræ mortis ſigna percenſentur.

S I *oculi caliga͂t* obſcuranturq; *aut lucem auerſantur* propter debilitatem viſoriæ facultatis, *qui ſomno multo*

& æstu intẽsaque caliditate *detinetur, extra spem est*, & prò deplorato habetur

APH. 14. ARGVM.

Signa alia futurę mortis exprimũtur.

SI *quis sensim rabie quadam efferatur* ob bilis accensionem: *si quis non cognoscit, non audit, non intelligit*, ob virtutis animalis imbecillitatem, ex qua deinde aliæ vires prosternũtur & deiiciuntur, *mortiferum est*, ob causas superius scriptas.

APH. 15. ARGVM.

Ventriculi tumorem & inflationem in febribus malum portendere.

P*Aulo pòst morituris signa hæc sunt clara magis, ventriculi si tolluntur, tumescunt, & inflantur*, ob tantam videlicet imbecillitatem, vt coquere non possint, nec iecur sanguinem, nec per corpus ipsum nutrimentum distribui.

Reliqua non placuit abscribere, quòd multa in se absurda, & ab Hippocratis placitis aliena contineant: cæterùm quibus hæc & alia permulta latiùs explicanda videbuntur, haud grauatè lampada tradidero.

Aphoris. lib. vltimi. finis.

PARISIIS,

Excudebat Petrus Rathoire, Typographus, in vico Iudaico, menſe Martio,

1551.